Digitized by Google

Digitized by Google

MANUALE CONFESSARIJ,

SEU

METHODUS COMPENDIOSA

Munus Confeſſarij ritè obeundi, utilitati præſertim ad id piè ſe diſponentium elucubrata,

& cum Theſibus ex Univerſa Theologia Scholaſtica

In Alma, Cæſarea, Regiáque Univerſitate Leopoldina Wratislavienſi Soc. JESU publicè diſputatis Typis data.

à

P. FRANCISCO HERZIG SOC. JESU.

Nunc pro plurium utilitate reimpreſſa.

Cum Permiſſu Superiorum.

BIBLIOTECA ... IN ROMA



AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Impenſis Georgij Schlüter, & Martini Happach,
1717.

Digitized by Google

Præfatio ad Lectorem.

MOrbo corporis peritus Medicus, morbis animæ peritus medetur Confeſſarius. Requiſitâ peritiâ carens Medicus veſpillo eſt, eâ deſtitutus Confeſſarius animarum Nero. Utriusque obligatio ad manus obeundum inſtructum advenire, non verò curando debitam notitiam capere; nè priusquàm addiſcatur, quod ſciendum eſt, ab illo cœmeteria, ab hoc gehenna impleantur. Diſpendio huic obviaturus Methodum tibi propono in compendio, Amice Lector, quâ Confeſſarij munus, ut ſacerrimum, ita ſaluberrimum rite obeas. Non diffiteor plurima ſuper hoc puncto Virorum ſapientiſſimorum opera jam proſtare; verùm, quia vel mole ſua molem laboris exigunt, vel comparatu tibi difficilia obveniunt, nè alterutro bonum præpediatur perquàm neceſſarium, tenui hoc opuſculo obſtacula removebo, diviſurus id ipsum bifariam ſic, ut in prima parte requiſita ad munus Confeſſarij, in altera Confeſſarij obligationem proponam.

Lege utiliter, &
vale.

Digitized by Google

Index Titulorum Partis I.

Quæſtiones Prolegomenales p. 1.

Cap. I. De I. requiſito, ſeu Sacerdotio p. 4.

Cap. II. De II. requiſito, ſeu de qualitatibus Confeſſarij p. 9.

Artic. I. De probitatæ ſeu Bonitate Confeſſarij ibid.

Artic. II. De Scientia ad munus Confeſſari requiſita p. 17.

§. I. De Scientia hac in communi ibid.

§. II. De Scientia neceſſariorum ad ſalutem p. 21.

§. III. De Scientia motivorum fidei, ſpei, charitatis, contritionis, attritionis p. 30.

§. IV. De Scientia partium Pœnitentiæ p. 39.

§. V. De Scientia peccati in genere p. 48.

§. VI. De Scientia peccati mortalis, & venialis p. 57.

§. VII. De Scienta peccatorum quoad Speciem, & numerum p. 64.

§. VIII. De Scientia circumſtantiarum ſpeciem mutantium, & aggravantium p. 77.

§. IX. Catalogus peccatorum, ſpecie diverſas malitias continentium p. 91.

§. X. De Scientia caſuum reſervatorum p. 107.

§.

§. XI. De Scientia modi validè, licitè, & fructuoſè hoc Sacramentum adminiſtrandi p. 120.
§. XII. De Scientia opinionum probabilium, & quando adhibendæ? p. 122.
Artic. III. De Prudentia Confeſſarij p. 135.
Cap. III. De Approbatione Confeſſarij p. 138.
Artic. I. De Quiditate Approbationis ibid.
Artic. II. De Neceſſitate Approbationis p. 140.
Art. III. De Petitione, & Conceſſione Approbationis p. 145.
Cap. IV. De Juriſdictione Confeſſarij. p. 145
Art. I. Quid? & Quotuplex ſit Juriſdictio Confeſſarij? ibid.
Art. II. Quæ Neceſſitas Juriſdictionis p. ~~160~~ 151
Art. III. Quomodo acquiratur Juriſdictio? p. ~~162~~ 154.
Art. IV. Quomodo amittatur Juriſdictio? p. ~~167~~ 158.
Art. V. Qui de jure, aut conſuetudine ſibi poſſint eligere Confeſſarium? p. ~~168~~ 159.

Que-

Digitized by Google

Quæſtiones Prolegomenales.

1 Q. 1. *Quid ſit Confeſſarius*? ℞. Cum Gob. tr. 7. n. 3. Confeſſarius eſt Sacerdos præditus poteſtate ligandi, atque ſolvendi in foro Sacramentali, ſeu confitentem Sacramentaliter abſolvendi.

2 Q. 2. *Unde Confeſſarius poteſtatem hanc accipiat*? ℞. à Chriſto, ut clarè docet Trid. Seſſ. 14. c. 1. de S. Pœnitentiæ Sacramento, ubi ſic: *Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituit, cùm à mortuis excitatus inſufflavit in diſcipulos ſuos dicens: accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quo tam inſigni facto, & verbis tam poteſtatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis, & eorum legitimis Succeſſoribus fuiſſe communicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit.*

3 Q. 3. *Quo alio nomine compelletur hæc abſolvendi poteſtas*? ℞. Compellari eam ſolere nomine *clavium Eccleſiæ*, eò quòd Judex Eccleſiaſticus poſſit dignis, abſolvendo illos, Regnum Cœlorum aperire, indignis verò, abſolutionem negando, id ipſum claudere: Henriquez in Summa Theologiæ moralis l. 6. de Pœnit. Sacr. c. 1. n. 2. & 5. itèm c. 3. n. 1. Adhibet hanc ipſam nuncupationem Trid. Seſſ. 14. c. 16. de S. Pœnit. Sacram. & ſæpius c. 15. Seſſ. eadem. Confertur hæc poteſtas per-

Digitized by Google

per Sacramentum Ordinis Sacerdotalis, alio-tamen actu ab eo, quo confertur ab Epiſco-po poteſtas conſecrandi Eucharistiam, & cele-brandi SS. Miſſæ Sacrificium, éſtque in om-nibus Sacerdotibus omnino æqualis. Ità cit. Henr. c. 1. n. 3. & 4.

Q. 4. *An etiam Jurisdictio nomine clavium Eccleſiæ compellari poſſit?* ℞. propriè non poſſe, ſed eſſe duntaxat *requiſitam ad uſum* clavium Eccleſiæ; ut videlicet poteſtas abſolvendi præſtet effectum. Dicitur tamen à quibusdam *diſpoſitivè* clavis, quia impedimentum removet abſolutionis, ut illo ſublato aperiatur pœnitenti janua Regni Cœlorum, quo pacto per illam etiam clauditur. Ità rurſum Henr. n. 7. 4

Q. 5. *Quid ſit peccata ſubjicere clavibus?* ℞. cum Gobat. tr. 7. n. 15. Nihil aliud eſſe, quàm ſubjicere peccata poteſtati ligandi, & ſolvendi, ſeu peccata Confeſſario confiteri. Addit ibidem Author cit. cùm poteſtas clavium exerceatur intrà, & extra Confeſſionem, ideò forum aliud eſſe *internum*, aliud *externum*, & quidem *internum* eſſe duplex, ſcilicet internum *Pœnitentiale*, ac *Sacramentale*, & internum *conſcientiæ*. 5

Q. 6. *Quid ſit Confeſſio Sacramentalis?* ℞. *Generaliter* accepta pro *legitima*, & *illegitima*, *eſt accuſatio peccatorum facta Sacerdoti in ordine ad abſolutionem.* Ità Catech. Rom. de Pœnit. Sacram. c. 5. q. 33. Suar. de Pœnit. D. 33. Sect. 2. Fill. tr. 7. c. 1. n. 2. 6

Ac-

Accepta verò *pro ſola legitima eſt accuſatio peccatorum legitima, & voluntaria facta vero Sacerdoti, ut virtute clavium Eccleſiæ remiſſionē impetremus.* Bonac. de Sacram. d. 5 q 5. S. 1. p. 1. Sylveſter. Dicaſt. apud Gobat. tr. 7. n. 5.

7 Q. 7. *Quæ ſint requiſita ad munus Confeſſarij rite obeundum?* ℞. Communi Doctorum ſententiâ ſequentia enumerari. 1. Ut Confeſſarius ſit Sacerdos. 2. Ut certis qualitatibus, quales ſunt *probitas, ſufficiens ſcientia, prudentia* &c. ſit inſtructus. 3. Ut ſit approbatus. 4. Ut ſit jurisdictione præditus.

8 Q. 8. *In quo conſiſtat munus Confeſſarij, enumerata requiſita habentis? ſeu quænam ſit ejusdem obligatio?* ℞. Conformiter cap. *omnis utriusque ſexûs* de Pœnit. & remiſſ. obligationem illius *generatim* acceptam triplicem eſſe, videlicet, ut partes obeat *Judicis, Doctoris, & Medici. Judicis* quidem examinando, quantum neceſſe eſt, pœnitentem, judicando de ipſius peccatis, sintne mortalia, an venialia? &c. impertiendo, vel negando abſolutionem, imponendo pœnitentiam, & ſatisfactionem debitam ſeu DEO ſoli, ſeu hominibus. *Doctoris* docendo, & inſtruendo pœnitentem in ijs, quæ ſcire illum convenit. *Medici* præſcribendo media neceſſaria curandis morbis animi, *ſuperfundendo nimirum vinum, & oleum vulneribus ſanciati*, ut Innoc. III. in cap. *omnis utriusque ſexûs* inquit. His præmiſſis ſit

PARS

PARS PRIMA.

De requiſitis ad munus Confeſſarii rite obeundum.

Caput I.

De I. requiſito, ſeu Sacerdotio.

Q. 1. *An ſolus Sacerdos ſit legitimus Mi-*
niſter Sacramenti Pœnitentiæ, ſeu le- 9.
gitimus Confeſſarius? ℟. Affirmativè ad mentem Trid. Seſſ. 14. c. 6. De S. Pœnit. Sacram. ubi ſic; *Circa Miniſtrum autem hujus Sacramenti declarat S. Synodus falſas eſſe, & à veritate Evangelij penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines præter Epiſcopos, & Sacerdotes clavium miniſterium perniciosè extendunt, putantes verba illa Domini: Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt alligata & in Cœlo; & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in Cœlo: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt, ad omnes Chriſti fideles indifferenter, & promiſcuè contra inſtitutionem hujus Sacramenti ità fuiſſe dicta, ut quivis poteſtatem habeat remittendi peccata.* Quod idem

Digitized by Google

reperit eadem Seſſ. can. 10. Ubi nota, dum Concilium definit miniſterium Sacramenti Pœnitentiæ eſſe penes ſolos Epiſcopos, & Sacerdotes, eos ſolos intelligi Epiſcopos, qui Ordine Sacerdotii ſunt initiati: licèt enim poteſtatem Jurisdictionis conferre poſſint non Sacerdotes; poteſtas tamen ligandi, & ſolvendi non acquiritur, niſì in collatione Ordinis Sacerdotalis, ùt ex ſuprà dictis Q. 3. liquet. Nota prætereà ad miniſterium hujus Sacramenti requiri Sacerdotium completum, quo Sacerdos poteſtatem in Ordinatione accepit non tantùm in *Corpus Chriſti verum*, ſeu ad Euchariſtiam conficiendam, ſed etiam in *Corpus Chriſti myſticum*, ſeu fideles ſolvendos, & ligandos in foro Pœnitentiæ. Unde ſi quis ordinatus eſſet vel per ſolam traditionem patenæ cum pane, & calicis cum vino, vel per ſolam impoſitionem manuum Epiſcopi, Miniſter foret inidoneus, poſſétque prior ſolam conficere Euchariſtiam, alter nec hoc: quia poteſtas in Corpus Chriſti myſticum præſupponit poteſtatem in Corpus Chriſti verum. La Croix. l. 6. p. 2. n. 1480. Amicus. Arr. d. 39. n. 2. apud eundem. Colliges etiam hinc: nullum omnino Laicum, tametſi Regem, aut hominem eximia Sanctitate præditum, itèm nullum non Sacerdotem licèt Clericum, etiam in mortis periculo; imò nullum etiam Angelum in moderna providentia poſſe eſſe hujus Sacramenti Miniſtrum. Ratio univerſalis eſt; quia omnibus his deeſt

eſſen-

Digitized by Google

eſſentiale requiſitum, videlicet *Sacerdotium.*

Q. 2. *An Confeſſio facta non Sacerdoti ſit Sacramentalis?* ℞. Negativè. Rationem dat Gobat tr. 7. n. 19. Quia non Sacerdos Sacramentalem abſolutionem dare nequit, ſinè qua Sacramentum nullum, conſequenter nec Confeſſio Sacramentalis eſt. 10.

Q. 3. *Quomodo intelligendum id, quod habetur* in cap. 1. de Pœnit. Diſt. 6. *Si deeſt Sacerdos, confiteatur proximo?* ℞. Id non intelligi in ordine ad Sacramentalem Confeſſionem, ſed ſolùm vel ad excitandam contritionem, majorémque ſui confuſionem, vel ut non Sacerdos peccata Sacerdoti ſuperventuro referat, vel ut dirigat circa reſtitutionem. Laym. l. 5. tr. 6. c. 9. n. 1. Henriq: Moya apud La Croix l. 6. p. 2. n. 1482. Quare neque *in præcepto* eſt talis peccatorum Confeſſio, ſed *in conſilio* tantùm. 11.

Q. 4 *An per ſe loquendo licitum ſit ſequi hoc conſilium?* ℞. Negativè; ſed ſpectandæ ſunt circumſtantiæ, in quibus ſalubriter fieri poſſit talis Confeſſio, ùt idem cit: Laym: Reginaldus l. 1. c. 1. S. 3. n. 8. nec licitum, nec ſalutare docet eſſe hoc conſilium, etiam in articulo mortis, niſi non Sacerdos, cui facienda Confeſſio, ſit perſona prudens, ſecretíque tenax, quæque profutura ſit, non obfutura. Rationem dat ex Navarro: quia non magìs licet detrahere ſibi, quàm detrahere alteri; ſicut non licet 12.

magìs vitam ſuam, quàm alienam in diſcrimen vocare; confiteri autem non Sacerdoti, qui non prodeſſet, aut non eſſet ſecretum ſervaturus, nihil aliud eſſet, quàm ſibi detrahere. E contra, ſicut, qui crimen alicujus etiam occultum indicat ei, qui prodeſſe poteſt, & veroſimile eſt, quòd obfuturus non ſit, neutiquam detrahit, ità nec ſibi detrahit peccata ſic confitens alteri, qui proderit, non oberit. Unde etiam ſalubriter, & laudabiliter agit Religioſus Religioſo ſuperiori totam ſuam vitam denudans. Gobat. cit. n. 20.

13. Q. 5. *An qui hoc conſilium licitè ſecutus eſt, teneatur dein mortalia peccata, cùm poteſt, confiteri Sacerdoti?* ℟. Affirmativè. Eſt communis. Et ratio eſt: quia confitendo non Sacerdoti, peccata ſua non ſubjicit clavibus Eccleſiæ, & Sacerdotis judicio, ſicut Sacramentalis Confeſſio præcepta à peccatore requirit.

14. Q. 6. *An non ſaltem in communi errore, quo Laicus, aut Clericus non Sacerdos putaretur eſſe Sacerdos, Eccleſia defectum ſuppleat?* ℟. Negativè. Ratio eſt: quia requiſitum Sacerdotij eſt juris Divini.

15. Q. 7. *An ſimiliter Laicus, vel Clericus non Sacerdos idoneus ſit, ad abſolvendum à cenſuris ſaltèm in articulo mortis?* ℟. Pro parte utraque ſtare authoritatem inſignium Doctorum. Unde periculum non ſubeſt ſequi negativam. E Sanchezij inſuper ſententia in Decal. L. 2. c. 13. n. 13. non tantùm

pos-

Digitized by Google

poteſt, ſed & tenetur pro tali cauſa abſolvere cenſuris ligatum.

Q. 8. *Quis dicatur, & ſit Sacerdos Ordinarius ?* ℞. cum Henriquez de Pœnit: Sacram: l. 3. c. 7. n. 1. Triplicem dici, & eſſe Paſtorem, ſeu Sacerdotem Ordinarium, qui in cap. : *Omnis utriusque ſexûs proprius* dicitur, videlicet Papam, Epiſcopum & Parochum proprium. *Ordinarij, ſed extraordinariè* ſunt Summus Pœnitentiarius Papæ, aut ejus Generalis Vicarius, Generalis Vicarius Epiſcopi, Archi-Presbyter Eccleſiæ Cathedralis, qui cenſetur ùt Vicarius Epiſcopi, & Parochus illius Eccleſiæ, & qui ex ſe eſt proprius Parochiæ Vicarius ab Epiſcopo poſitus, quando nullus datur immediatus Parochus, Legatus, aut Nuntius Apoſtolicus. Religioſorum Ordinarius eſt Generalis, Provincialis, & Superior immediatus. Archi-Epiſcopus, ſeu Metropolitanus eo tempore, quo Suffraganeos viſitat, cenſetur expreſsè quoad abſolutionem à peccatis illorum Ordinarius in utroque foro. Henriquez de Pœnit: Sacram. l. 3. c. 7. n. 1. 3. 4. 5. 16.

Caput II.

De II. Requiſito, ſeu de qualitatibus Confeſſarij.

ARTICULUS I.

De Probitate, ſeu Bonitate Confeſſarij.

17. Q. 1. *Quæ bonitas requiratur in Confeſſario?* ℞. Requiri bonitatem duplicem, unam, quâ *bonus* ſit *pœnitenti*, alteram, quâ *bonus* ſit *ſibi*. Prior bonitas ſita eſt in virtutibus, quibus bonum pænitentis procuratur, quales ſunt ſyncera in illum charitas, & conſtans in eo curando patientia, prudens in increpando, & corrigendo manſuetudo &c. Altera conſiſtit in exteriore corporis, & interiore animi cultura, ut videlicet exteriùs nihil in Confeſſarij vultu, geſtibus, moribus, vel etiam in veſtitu videatur, nec in voce obſervetur, quod non deceat virum maturum. Animo verò omni virtutum genere exornato ei ſe aſſimilare ſtudeat, cujus perſonam gerit; præprimis verò curet, ut omne peccatum mortale penitus eliminet; nè in quo pœnitentem genibus advolutum judicat, in eo ſe ipſum condemnet. S. Thomas in 4. d. 17. in regulam Confeſſario ſequentes verſiculos proponit: Con-

Confeſſor dulcis, affabilis, atque ſuavis.

Prudens, diſcretus, mitis, pius, atque benignus.

Q. 2. *An munda à mortali Conſcientia in Confeſſario, requiratur ad valorem Sacramenti?* ℞. Negativè. Ità Regin: l. 1. c. 14. ſ. 5. n. 162. Navarrus, Medina, Sotus cum communi. Et clarè definitur à Trid: Seſſ: 14. de S. Pœnit: Sacram: c. 6. ubi ſic: *Docet quoque* (Sancta Synodus) *etiam* Sacerdotes, *qui peccato mortali tenentur, per virtutem* Spiritûs Sancti *in Ordinatione collatam, tanquam Miniſtros Chriſti functionem remittendi peccata exercere, eóſque pravè ſentire, qui in malis Sacerdotibus hanc poteſtatem non eſſe contendunt.* Et ſeſſ. 7. de Sacramentis in genere can: 12 de omnium Sacramentorum Miniſtro mortali noxa contaminato hæc habet: *Si quis dixerit Miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, anathema ſit.* 18.

Q. 3. *An Confeſſarius in mortali adminiſtrans hoc Sacramentum novo peccato mortali ſe contaminet?* ℞. Affirmativè: commune enim hoc eſt Sacramento Pœnitentiæ cum omnibus alijs Sacramentis. Ratio univerſalis eſt; quia ſancta ſanctè ſunt tractanda, ideóque 19.

que, ut omnis, ità vel maximè gravis irreverentia eſt vitanda, qualis profectò eſt Miniſtrum, & Vicarium Chriſti mortali ſordidatum ſanctisſima Sacramenta adminiſtrare. Accedit non rarò, ſi peccaminoſa Confeſſarii vita innotuit, peccatum ſcandali, quo pœnitentes vel de ſuis peccatis debitè non dolent, vel ea minoris, quàm deceat, faciunt, vel ea ipſi committere diffidentes confiteri omittunt.

20. Q. 4. *An ſi Confeſſarius mortali ſordidatus ſinè intermiſſione abſolvat plures, toties mortaliter peccet, quot abſolvit?* ℞. Negativam tenet Lugo de Pœnit. D. 16. S. 14. §. 2. n. 558. Gobat tr. 7. n. 199. Stoz. &c. Ratio eorum eſt: quià cenſetur unica moraliter adminiſtratio. Inſtantiam dat Gobat in prandio die Veneris ex carnibus ſumpto, in quo nemo dicet illicitè comedentem toties novæ culpæ eſſe reum, quoties è diverſis cibis interdictis carpit. Unde ſi Confeſſarius talis ipſe confiteatur, juxta hos ſatisfaciet, ſi dicat: excepi ſinè intermiſſione plurium, aut multorum Confeſſiones. Nec obſtabit, ſi poſt aliquas exceptas otioſus aliquamdiu alios præſtoletur; ſi quidem etiam hac mora adminiſtratio non videtur moraliter interrumpi, niſì confeſſionale mutaret, aut domum concederet, & aliquâ morâ interjectâ ad idem Confeſſionale rediret: cùm in his caſibus morali hominum judicio non cenſeretur adminiſtrationem continuare. Affirmativam è contrà rectiùs tuen-

tur

tur apud La Croix l. 5. n. 171. Bonac: Poſſ: Oviedo. Dicaſt: &c. Ratio eorum eſt: quia adminiſtratio reſpectu ſingulorum pœnitentium eſt completa: nec una ſubordinatur alteri; ſingulis itèm Sacramentis fit gravis injuria. Inſtantia à Gobat adducta non urget. Diſparitas enim eſt: quia manducatio diverſarum carnium in eodem prandio ordinatur ad unam rèfectionem, nec completur refectio per eſum unius carnis; ideóque ob unum finem unum tantùm eſt peccatum. Unde ſi completa refectione meridiana dein altera vice carnes comedantur, diverſum numero peccatum committitur: quia prior manducatio alteri non ſubordinatur, utpote quæ completa ſupponitur.

Q. 5. *Quid agendum Confeſſario, dum mortalis noxæ ſe reum advertit?* ℞. Tametſi utile ſit, priúsquàm confeſſiones excipiat, Confeſſione propria conſcientiam emundare; ad hoc tamen non tenetur, ſed tenetur duntaxat elicere actum contritionis, ídque non priùs, quàm confitentes audiat, ſed ſufficit id agere priùs, quàm abſolvat. Lugo. de Pœnit. Diſp. 21. n. 69. Diana. p. 1. tr. 7. Reſol. 47. cum Gobat. tr. 7. n. 196. Si ob brevitatem temporis, ut contingere poteſt cum moribundo pœnitente, elicere contritionem nequeat, cenſet Dicaſtillo de Pœnit. D. 10. dub. 8. n. 232. apud cit. Gobat n. 197. non fore Sacrilegii reum. Et ratio eſt: quia neceſſitas talem abſolvendi præponderat neceſſitati elici- 21.

endæ contritionis. Cæterùm ſi pœnitentes ſanos audiat, vix occurret hæc contritionem eliciendi impotentia: nam tametſi contritionis actus difficilis ſit, non eſt tamen pro illo opus longo tempore. Et licèt tales circumſtantiæ ſub ipſa pœnitentis Confeſſione intervenire poſſent, finitâ tamen Confeſſione, priùs, quàm alius audiatur, circumſtantiæ non impediunt, ac ideò, ſi contritionem ſaltèm tunc omittat, à Sacrilegio non excuſabitur. Gob. cit. n. 198.

22. Q. 6. *An licitum ſit à Sacerdote, qui ſcitur mortalis peccati reus, abſolutionem petere?* ℟. Ad difficultatem hanc omnibus Sacramentis communem, illicitum eſſe 1ò. eam expetere à malo Miniſtro, cujus adminiſtratio non poſſit hìc, & nunc ab eo fieri ſinè peccato, ùt ſi ab excommunicato non tolerato citra neceſſitatem peteretur. Stoz. l. 2. q. 1. a. 1. n. 5. Regin. l. 1. c. 14. *S.* 3. n. 162. Ratio eſt: quia hoc eſſet alterum inducere ad peccatum. 2ò. Illicitum eſt *citra caſum extremæ, aut gravis neceſſitatis, vel magnæ utilitatis* à malo Miniſtro adminiſtrationem petere, quam prævidetur malè obiturus, licèt cæteroquin bene obire poſſet. Ità communis. Ratio: quia ſinè notabili cauſa illicitum eſt etiam indirectè dare proximo occaſionem peccandi. Dixi *citra caſum extremæ, aut gravis neceſſitatis, vel magnæ utilitatis*: ſi enim in tali caſu licitè adminiſtrare poſſit, ùt multi mali Miniſtri poſſunt, non tenetur pœnitens

ſen-

ſeu periculo damnationis ſe exponere, ſeu magna utilitate privare, nè Miniſter malitiâ ſuâ illicitè adminiſtret. Sicut nemo tenetur ſe periculo vitæ propriæ, aut magno damno exponere, nè alter ſuâ ſe vitâ privet. Intelligitur verò hoc de caſu, quo alius Confeſſarius haberi non poteſt: nam ſi bonus, & probus haberi poſſit citra grave diſpendium, urget obligatio non malo confitendi, ſed bono. Ratio data eſt: quia ſuadet charitas in proximum, nè ſuâ causâ indirectè etiam peccati occaſio illi præbeatur. Nec refert, quòd Miniſter ad peccandum per adminiſtrationem paratus ſciatur. Ratio enim eſt eadem: Suar. p. 3. t. 4. D. 28. S. 2. n. 2 Utiliter hic monet Stoz ſuprà cit. n. 10. non eſſe curiosè, nec ſtudiosè, aut ſcrupulosè inquirendum in actiones, & vitam Confeſſarii, ut videatur, an bonus ſit vel malus: hoc enim ſine gravi illius injuria fieri non poteſt. Et licèt videretur rectà à patrato ſcelere properare ad Sacramentum miniſtrandum, bene tamen de eo præſumi poſſe, & cogitari, illum, cùm primùm ab eo petitur Sacramentum, conteri, & ad miniſtrandum debitè eſſe diſpoſitum.

Q. 7. *An illicitum ſit ſuſcipere Sacramen-* 23.
tum ab excommunicato non tolerato? ℞. Mortaliter eſſe illicitum, ſive is expoſitus ſit, ſive non; & ſive paratus ſit, ſive non; ſive ex officio illi incumbat miniſtrare, ſive non. Ità Regin. l. 1. n. 163. Ratio eſt: quia talis ſuſceptio in re gravi, utpote ad æternam ſalu-

tem

Digitized by Google

tem pertinente, directè eſt contra obedientiam debitam Eccleſiæ, quæ per ſuam cenſuram, non tantùm excommunicatum talem arcet à miniſterio Sacramentorum, ſed etiam aliis prohibet directè, nè cum illo communicent, præſertim in Sacris, ùt conſtat ex communi doctrina de effectis majoris excommunicationis. Excipitur articulus mortis, in quo pœnitens eſt conſtitutus: pro hoc enim jurisdictionem extraordinariam habet talis excommunicatus, ad mentem Trid. Seſſ. 14. c. 7. de S. Pœnit. Sacramento, ubi ſic: *In eadem Eccleſia DEI cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque ideò omnes Sacerdotes* (etiam ſi Sacerdotes eſſent excommunicati, & denuntiati, ùt addit declaratio) *quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt.*

24. Q. 8. *An illicitum ſit ſuſcipere Sacramentum ab excommunicato tolerato?* ℞. cum cit: Regin: n. 164. Urgente aliqua, licèt non extrema, nec gravi neceſſitate eſſe licitum, dummodò ſic excommunicatus expoſitus ſit, vel paratus illud miniſtrare, & ex officio, vel ex delegatione ſufficientem poteſtatem habeat. Rationem dat Sotus apud cit: Regin: quia ſic ſuſcipiens Sacramentum non cooperatur peccato talis Miniſtri, utpote quem invenit paratiſſimum, ac cæteroquin cum illo communicare poteſt licitè. Aliud foret, ſi nulla neceſſitas, aut detrimentum pœnitentem ad id urgeat: tunc enim lex chari-

tatis

tatis exigit, ut auferatur occaſio irreverentiæ in Deum, & lapſus Miniſtri. Aliud etiam foret, ſi talis excommunicatus (idem eſt de Miniſtro improbo) induceretur cœteroquin non paratus, niſi extrema neceſſitas urgeat: quia hac inductione offerretur illi materia peccandi, ſicut illicitè offerretur, ſi quis volenti comburere domum ignem ſubminiſtraret.

Q. 9. *Quibus virtutibus præter cordis munditiem ſtudere debeat Confeſſarius?* ℞. tribus ſpecialiter; *Manſuetudini*, videlicet, ut per illam Sacramentum hoc unum ex difficilioribus reddatur pœnitenti minùs difficile, nec rigore deterreatur à graviorum peccatorũ Confeſſione; *Patientiæ*, ut hac inſtructus rudes, & imperitos patienter audiat; *Charitati*, quâ præditus velut Pater, aut Mater vulneratam pœnitentis partem molliter tractet, niſi neceſſitas aliud exigat, ùt exigit, ſi pœnitens aut durus ſit, aut laxus. Quo caſu tamen etiam, quantum fieri poteſt, à charitate aceto oleum ſuperfundendum eſt vulneri. De quibus præclare Stoz. l. 2. q. 1. n. 4. 25.

ARTI-

ARTICULUS II.

De Scientia ad munus Confeſſarii requiſita.

§. I.

De ſcientia hac in communi.

26. Q. 1. *Quæ ſcientia requiratur in Confeſſario?* ℞. Cùm Confeſſarius triplex munus obeat, videlicet, *Medici*, *Doctoris*, & *Judicis*, eâ ſcientiâ illum præditum eſſe oportet, ut morbos ſpirituales pœnitentis cognoſcat, id eſt, peccata mortalia à venialibus, & viciſſim diſcernere; itèm ſpeciem, & numerum cognoſcere; aptas medicinas, ſeu media, præſcribere, & debitam ſententiam ferre, pœnitentiámque convenientem imponere noverit. Gob. tr. 7. n. 188. cum Lug. Dicaſt. & aliis ibidem à ſe citatis. Ex quo ſequitur mortaliter peccare Confeſſarium, ſi videns ſe ſcientiâ requiſitâ non inſtructum, Confeſſiones excipiat. Regin. l. 1. c. 12. n. 189. cum communi.

27. Q. 2. *Quæ ſcientia ſit ſufficiens, ut a mortali Confeſſarius excuſetur?* ℞. Sufficientem eſſe mediocrem, non verò requiri ſummam; imò cenſet La Croix l. 6. p. 2. n. 1787. Summam *per accidens* ſæpe minùs utilem, quàm mediocrem conjunctam cum naturali judicio, & praxi. Rationem dat: quia Confeſſarius volens absque ſereno judicio, & praxi revo-

care

care omnia ad apices Theologicos ſæpe ſe ipſum, & alios implicat ſcrupulis, aliiſque diſ-ficultatibus. Unde convenientiùs facit, ſi ſe accommodet uſui Eccleſiæ, & aliorum prudentium Confeſſariorum, neque omnia nimis ſubtiliter excutiat, ſciens bonitatem, & clementiam Chriſti non voluiſſe inſtituere *carnificinam conſcientiarum*, ùt ait Trid. Seſſ. 14. c. 5. Addit ex Arriaga d. 43. n. 2. majorem ſcientiam requiri ad audiendas Confeſſiones hominum indoctorum, quàm doctorum: quia hi poſſunt ipſi actiones ſuas diſtinguere, & obligationes cognoſcere. Regin. l. 1. c. 13. n. 144. ait pro ſufficientia hac regulam certam non poſſe ſtatui, ſed obſervandas eſſe qualitates loci, ubi Confeſſiones ſunt audiendæ, & conditiones perſonarum tum Pœnitentis, tum Confeſſarii. Unde non omnis, qui idoneus eſt ad audiendas aliquas certas perſonas, etiam idoneus eſt ad audiendas omnes; nec qui idoneus eſt pro uno loco, idoneus eſt pro locis omnibus.

Q. 3. *Quando Confeſſarius ſecurus eſſe poſſit de hac ſufficientia?* ℞. cum Stoz. l. 2. q. 1. a. 2. n. 16. & 17. Tunc ſecurum eſſe poſſe, 28. ſi integram ſummam caſuum ſaltèm unius Doctoris Catholici, vel in ſcholis diligenter audierit, vel accuratè legerit, vel ſubinde repetiverit. Cujus etiam ſenſus eſt, ut, ſi quis dubitet de ſcientiæ ſuæ ſufficientia judicio docti & prudentis ſuperioris acquieſcat indocto enim, aut imprudenti non tutè fiditur; quanquã in neceſſi-

tate

tate præſtet indoctum potiùs, quàm nullum Superiorem populo præficere. Cæterùm in mortis articulo quilibet ſatis doctus eſt, dummodò eſſentialia Sacramentorum, quæ in illo articulo miniſtrari ſolent, noverit.

29. Q. 4. *Quæ in particulari Confeſſario ſint ſcienda?* ℞. *ùt Doctor* ſcire debet 1. neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem. 2. Motiva fidei, ſpei, charitatis, attritionis, contritionis. 3. Partes Sacramenti Pœnitentiæ. *Ut Judex* verò ſcire debet 1. materiam & formam ejusdem Sacramenti. 2. An non ſit irretitus aliquâ cenſurâ, & irregularitate. 3. In quæ peccata ſe extendat ejus Jurisdictio, conſequenter notitia illi opus eſt caſuum reſervatorum. 4. Quæ peccata ſint mortalia, quæ venialia? 5. Mortalium numerum, & ſpeciem, utì & circumſtantias ſpeciem mutantes. 6. An pœnitens ſit rectè diſpoſitus? 7. Quæ? & quàm congruæ pœnitentiæ vindicativæ illi ſint imponendæ? 8. an? & quas obligationes habeat pœnitens, de quibus implendis ſit monendus. 9. Caſus faciliores, & crebriores; de abſtruſioribus autem ut poſſit dubitare, atque vel libros, vel doctiores conſulere. Et quidem, ſi dubium ſit de aliquo ad valorem Sacramenti requiſito, differenda eſt abſolutio, aliâ interim precatione, nè dilatio obſervetur, ſuper pœnitentem recitatâ; vel ſic diſponendus pœnitens, ut ſpondeat præſtare quod re diſcuſſa præſtandum intellexerit. Imò etiam docto Confeſſario non expedit implicatos caſus

ſus ex tempore reſolvere, præſertim qui impedimenta Matrimonii, ſimoniam, vel reſtitutionē concernunt; ſed petendum à pœnitente tempus conſiderandi. 10. Scire debet modum valide, licitè, & fructuosè hoc Sacramentum adminiſtrandi. 11. Nôſſe debet opiniones probabiles, & quando ſint adhibendæ? Si dubium ſit: an hoc, vel illud ſit peccatum mortale? an veniale? opus nòn eſt de hoc alios conſulere, nec abſolutionem differre, dummodò in fine Confeſſionis de toto ſtatu pœnitentis judicium ferat, ſítne magnus peccator? an mediocris? an levis? Suarez. p. 3. tr. 4. D. 28. S. 2. n. 2 & 3. Aliud foret, ſi Confeſſione facta deprehenderetur Confeſſarium nihil intellexiſſe tanquam peccatum, ſed narrata tantùm audiviſſe velut facta quædam. *Ut Medicus* ſcire debet ſpirituales animæ morbos, eorúmque cauſas, & ſontes, quæque medicamenta congruè præſcribenda ſint. Stoz. cit. n. 14. De ſingulis ſingillatim ſeqq. §§.

Q. 5. *An Confeſſio bona fide ignoranti facta ſit invalida?* ℞. cum Suar. cit. n. 12. Negativè, dummodò in pœnitente adſit ſufficiens tum contritio, tum Confeſſio, & Confeſſarius Juriſdictione præditus ſaltèm agnoſcat adeſſe materiam pœnitentiæ, formamque abſolutionis debitè proferat. Ratio eſt: quia tali caſu nihil deeſt ad ſubſtantiam Sacramenti. Aliud foret, ſi Confeſſione facta deprehende- 30.

retur Confeſſarium nihil intellexiſſe tanquam peccatum, ſed narrata tantùm audiviſſe, ùt facta quædam, prout dictum Q. præced. Si mala fide Confeſſio facta eſt ignoranti e. g. ſi pœnitens ità ignorantem ſcivit Confeſſarium, ut conſcientiam dijudicare non ſufficeret, & tamen in copia alîus docti Confeſſarii, & citra neceſſitatem illi confeſſus eſt; vel ſi ſcivit Confeſſarium non cognoſcere gravitatem peccati ſui, & tamen potens illum inſtruere, non inſtruxit, invalida fuit Confeſſio. Ratio eſt: quia pœnitens tunc non bene fuit diſpoſitus.

§. II.

De Scientia Neceſſariorum ad ſalutem.

31 Q. 1. *Quot modis aliqua dicantur neceſſaria ad ſalutem?* ℞. cum communi Theologorum, *duobus*; alia enim ſunt *neceſſaria neceſſitate medij*, alia *neceſſitate præcepti. Neceſſaria neceſſitate medij* ſunt, quæ ità ſunt ad ſalutem media, ut ſine illis etiam invincibiliter ignoratis, vel intermiſſis, non poſſit acquiri æterna ſalus. *Neceſſaria neceſſitate ſolius præcepti* ſunt, quæ etſi præſtari debeant ex præcepto, ſi tamen ignorentur, vel omittantur invincibiliter, & inculpabiliter, non impediunt conſecutionem ſalutis æternæ. Dixi; *Solius*: nam neceſſaria neceſſitate medii ſunt

ſunt quidem etiam neceſſaria neceſsitate *præcepti*, ſed *non ſolius*.

Q. 2. *Quæ ſint neceſſaria neceſſitate medij?* ℞. ruiſus conformiter communi ſenſui alia ſita eſſe in *ſuſcipiendo*, qualia ſunt duo Sacramenta, *Baptiſmi* videlicet, qui neceſſarius eſt omnibus omnino originali peccato contaminatis, & *Pœnitentiæ*, quæ neceſſaria eſt omnibus omnino poſt Baptismum in mortale lapſis; ùt docet Trid. Seſs. 7. de Sacram. Baptiſmi can. 5. & Seſſ. 14. c. 1. de Pœnit. Sacram. Ex quo ſequitur ſalutem æternam adiri non poſſe, nisì originali contaminatus (extra privilegium martyrii, quod Baptiſmo æquivalet ex DEI ordinatione) Baptiſmum, mortali poſt Baptiſmum inquinatus Pœnitentiæ Sacramentum vel *in re*, vel *in voto* ſuſcipiat. Porrò *in voto* neceſſarium dicitur, quod, ſi in re haberi non poſſit, debet optari ſaltèm implicitè, idque per actum contritionis ſaltèm virtualem, ſeu charitatem perfectam, quæ tunc ſufficit, quando præceptum de dolore invincibiliter ignoratur. Alia ſita ſunt *in credendo*, de quibus. 32

Q. 3. *Quæ creditu ſint neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij?* ℞. Neceſſarium eſſe 1. Credere Deum unum. 2. Credere hunc Deum eſſe Remuneratorem, conformiter illi ad Hebr. 11. v. 6. *Sinè fide impoſſibile eſt placere Deo: credere enim oportet accedentem ad DEum, quia eſt, & inquirentibus ſe Remunera-* 33

nerator ſit. 2. Credere Myſterium SS. Trinitatis, ac præſertim Incarnationis.

Circa quæ obſervandum I. Fidem de dictis Myſteriis debere *in adultis* eſſe 1. *actualem*, ùt conſtat ex cit. Apoſtoli textu, & ex Trid. Seſſ. 6. de Reform. c. 6 & 7 Dixi *in adultis*: quia habitualis parvulis, quæ illis per Baptiſmum infunditur, utpote actualis fidei incapacibus ſufficit. Quòd autem hæc actualis fides in adultis requiratur, ratio eſt: quia iſti ſe diſponere debent ad juſtificationem, & ſalutem per actus liberæ voluntatis. 2. Fidem eandem debere eſſe *ſupernaturalem*. Ratio eſt, quam aſſignat Laym. l. 2. tr. 1. c. 8. n. 3 Quia Fides hæc hominem viatorem dirigere debet ad finem non naturalem, ſed ſupernaturalem beatitudinis æternæ. Ac ideò credi debet DEUS, *non fide tantùm humanâ*, & ùt Author naturæ, Remuneratórque, ac Largitor bonorum naturalium, ſed *fide divina*, & ùt Author gratiæ, Remuneratórque, ac Largitor bonorum ſupernaturalium.

34 Obſervandum II. Fidem in DEUM unum, eúmque Remuneratorem debere eſſe *explicitam*. Ratio eſt ex Apoſtolo cit. v. 1. *Quia fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum*, id eſt, ſperandæ ſalutis fundamentum; quomodo autem ſperabitur, quod per fidem non creditur *explicitè*?

35 Obſervandum III. Fidem *implicitam* de Incar-

Incarnatione, & per conſequens de SS. Trinitate poſt lapſum Adæ etiam in lege naturæ, & Moyſis fuiſſe neceſſariam. Conſtat ex c. 2. v. 16. ep. ad Gal. *Scientes, quòd non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem JESU Chriſti* Et ratio eſt: quia ſicut in ſtatu naturæ integræ adulti ſalvari non potuiſſent ſinè cognitione DEI Creatoris, & Sanctificatoris, ità in ſtatu naturæ lapſæ ſalvari non poſſunt ſinè aliqua *ſaltem confuſa* cognitione Chriſti Redemptoris, medici ſui. An verò poſt ſufficientem Evangelii promulgationem *explicita* fides in SS. Trinitatem, & Chriſti Incarnationem neceſſarium medium ſit ad ſalutem adultis ratione utentibus, probabilis eſt in utramque partem ſententia: pro utraque enim copioſa ſtat authoritas, quam refert Laym cit. n. 1. Ubi tamen agitur de valore Sacramentorum, ſequenda eſt affirmativa; quia tutior.

Obſervandum IV. credendo Deum *Remuneratorem* etiam credi debere *gratiam* eſſe neceſſariam ad ſalutem: quia voluntas non poteſt erigi in ſpem remunerationis, & ſalutis, niſi præcedat firma cognitio gratiarum ex meritis Chriſti Prætereà dum DEUS creditur *Remunerator*, etiam creditur DEUS *Vindex*, per conſequens creditur *immortalitas animæ*, quæ vel æternùm præmiabitur Cœlo, vel punietur æternùm Inferno. 36

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

37 Obſervandum V. non ſufficere ad ſalutem fidem *in voto*, aut *in æquivalenti*, ſed requiri fidem *in re*. Rationem dat Suar. D. 12. S. 2. n. 10. quia nulla datur cognitio ſupernaturalis, quæ ſuppleat agnitionem certam, & ſupernaturalem objectorum credendorum, ſicut in adulto ſupplet contritio, vel amor DEI ſupernaturalis, itèm Martyrium cauſalitatem Baptiſmi. Porrò fides *in re* eſt vel *formalis*, ſeu talis, quæ actu præſente perceptibiliter tendit in objectum materiale propter formale; vel *virtualis*, quæ priùs actu elicita eſt, nunc autem in aliquo effectu perſeverat. Et hæc alterutra fides requiritur ad omnem actum ſive de condigno, ſive de congruo meritorium præmii ſupernaturalis, ùt communiter docent & Concilia, & SS Patres, & Catholici Doctores. Circa quod bene adhuc obſervat La Croix l 2. n. 17. 18. & 24. ad juſtificationem hominis, qui vel nunquam habuit actum fidei, vel fidem amiſit per peccatum oppoſitum, prærequiri actualem fidem. Ratio fundamentalis eſt: quia ùt ex Apoſtolo ſuprà dictum, *ſine fide impoſſibile eſt placere DEO*; talis autem ſi non habet *actualem* fidem, nullam habet fidem: non *actualem*, ùt ſupponitur; non *habitualem*: quia habitam per hæreſim amiſit; non etiam *virtualem*, ſeu in effectu perſeverantem, cujus pariter ratio eſt: quia vel nullam ſupponitur habuiſſe, quæ in effectu perſeveraret, vel ſi habuit, eam per hæreſim retracta-

tractavit. In eo autem, qui jam aliquando habuit fidem actualem, nec retractavit, ait requiri ſeu in Baptiſmo, ſeu in Pœnitentiæ Sacramento fidem ſaltèm *virtualem*, & quidem ſic *virtualem*, quæ non perſeveret in effectu quocunque à fide diſtincto, ſed qui effectus ſit *aliqua ſaltèm actualis* fides, licèt *tenuis*, & *imperceptibilis*. Ratio eſt: quia actus ſpei, doloris, & aliarum virtutum exigunt, ut voluntati repræſententur, & proponantur objecta, in quæ tendere debent; hæc autem certa repræſentatio, & propoſitio certò haberi non poteſt, ſi non adſit actus fidei *ſaltèm tenuis*, & *imperceptibilis*.

Q. 4. *Quænam ſint creditu neceſſaria neceſſitate præcepti?* ℞. Omnia, quæ neceſſaria ſunt neceſſitate medii, etiam neceſſaria eſſe neceſſitate præcepti. Ratio eſt: quia omnibus incumbit naturalis lex tendendi ad finem ſuum, ad quem à DEO ſunt conditi: initium autem tendentiæ hujus eſt fides neceſſariorum neceſſitate medii ad finem præfixum, qui eſt ſalus æterna, adipiſcendum. Laym. l. 2. tr. 1. c. 9. n. 2. etiam bene docet hominibus à DEO impoſitum eſſe præceptum de credendo Mediatore, & Propitiatore Chriſto ſecundùm modum, & menſuram revelationis, aut prædicationis, pro temporum, aut perſonarum varietate factæ. Neceſſitate verò *ſolius præcepti* neceſſarium eſt adultis ratione utentibus non rudibus *actualiter*, & *ex licite* credere arti- 38

culos omnes, qui in vulgato Symbolo continentur, *ſaltèm ſecundùm* ipſorum *ſubſtantiam*, ut *conceptu vero*, *quamvis imperfecto*, *& confuſo*, apprehendantur, & credantur. Præter authoritatem communem ratio eſt: quia ſtatus, & profeſſio hominis Chriſtiani exigit, ut præcipua Chriſtianæ fidei capita, ſeu articulos agnoſcat, & credat. Liquet id ipſum ex perpetua Eccleſiæ praxi ad Baptiſmum, in quo profeſſio fidei editur, neminem adultum admittentis, nisì Symboli articulos calleat, & credat. Rudibus tamen ſatis eſt, ut fidei articulos credant *implicitè*, credendo nimirùm, quidquid credit Sancta Mater Eccleſia. Azor. l. 8. c. 6. q. 1. Bannez 2. 2. q. 2. a. 8. dub. 8. &c. Præter articulos in Symbolo contentos credere etiam, & ſcire neceſſe eſt Sacrificium Miſſæ, Septem Sacramenta, itèm cognoſcere petitionem Dominicam, præcepta Decalogi, & Eccleſiæ, uti & alias leges, atque obligationes, quarum notitia ad cujusvis hominis Chriſtiani ſtatum, vel officium pertinet. Quanquam opus non ſit, ut hæc verbotenus cognoſcantur, & ſciantur, ſed cognoſcere ſufficit, & ſcire eorum ſubſtantiam, ùt de articulis in vulgato Symbòlo contentis paulò antè dictum. Porrò Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apoſtolorum ſcire neceſſe eſt memoriter ex præcepto Eccleſiaſtico longa conſuetudine firmato; ſub peccato tamen ſolùm veniali. Ità

Nav.

Nav. c. 11. n 22. Lopez &c. Proinde obligatio incumbit Parentibus, ut liberos, Parochis, ut ſubditos talia edoceant.

Q. 5. *Quandonam urgeat praeceptum fidei?* 39
℞. *Praeceptum negativum* non diſſentiendi fidei myſteriis ſufficienter propoſitis urget omni tempore. Laym. cit. c. 10. n. 1. *Affirmativum* verò præceptum eliciendi actum fidei non urget tempore omni, ſed in certis caſibus tantùm. Et 1. quidem urget pueros inter fideles educatos, quando rationis uſum perfectè conſecuti myſteria fidei audiunt, apprehendúntque, quòd illa credere ſit res neceſſaria ad ſalutem, peccántque mortaliter omittendo, nisì excuſet inadvertentia, aut invincibilis ignorantia. quod plurimis evenire docet Bon. tom. 2. d. 3. q. 2. p. 2. 2. Urget adultos infideles, quando ratio incipit dictare res fidei ſufficienter propoſitas eſſe, & contrariam ſectam eſſe falſam. Sanch. Fill. t. 22. n. 25. Quòd ſi res fidei non clarè innoteſcant, dubium tamen oboriatur, tenentur inquirere, & lumen à DEO efflagitare, quod negligentes graviter peccant contra fidem. Si vident ſectam ſuam minùs probabilem, tenentur eam deſerere. Conſtat ex 4. propoſitione inter 65. ab Innoc. XI. condemnata. *Ab infidelitate excuſabitur infidelis, ſi non credat ductus ratione minùs probabili.* 3. Urget eosdem adultos, quando tentantur in fide, nec aliter tentationem vincere poſſunt. Scrupuloſis tamen expedit mentem

tunc ad alia objecta avertere. Ità Buſenb. l. 2. tr. 1. c. 2. 4. *Per accidens* urget, quando tentantur circa alias virtutes, & pariter alio modo tentationem vincere nequeunt. Itèm quando facienda eſt profeſſio fidei exterior, vel ex præcepto eliciendus eſt actus alterius virtutis, ùt ſpei, charitatis, pœnitentiæ, quæ fidem ſupponunt. Bon. cit. q. 2. p. 2. 6. In hora mortis. 7. Per vitam ſæpius. Colligitur hoc ex prop. 5. inter 65. ab Innoc. X. damnata: *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis DEI ſemel tantùm eliceret in vita, condemnare non audemus.* Et ex 6. *probabile eſt, nè ſinguli quidem rigorosè quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga DEUM.* Itèm ex 17. *Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere.* Unde non pauci ſunt, qui pro ſingulis annis, ſeu jam *per ſe*, ſeu *per accidens* actum fidei requirunt. Neque id videtur ſcrupulis obnoxium, ùt bene notat Cardenas in Criſi ſuper prop. 17. cùm frequentiſſimè etiam inadvertenter actum fidei eliciamus: quotiescunque enim oramus, credimus in DEUM, aut poſſe Sanctos pro nobis intercedere; Idem fit, quotiescunque ſuſcipimus aliquod Sacramentum &c.

§. III.

§. III.

De Scientia motivorum fidei, ſpei, charitatis, contritionis, attritionis.

Q. I. *Quod motivum ſit actûs fidei Divinæ, ſeu quæ ſit illa ratio, propter quam myſteria fidei fide Divina ſunt credenda?* ℞. Cùm fides Divina ex communi Theologorum definitione ſit *aſſenſus firmus, ac certus ob authoritatem DEI loquentis, ſeu revelantis*; motivum actus fidei Divinæ, ſeu ratio, propter quam myſteria fidei fide Divina ſunt credenda, bene aſſignatur *Authoritas DEI loquentis, juxta probabiliorem ſententiam conſurgens ex prima veritate in cognoſcendo, & dicendo*, ùt Scholæ loquuntur; ſeu clariùs: ideò myſteria fidei ſunt credenda, quia DEUS, qui eſt æterna, & infinita veritas, qui nec falli poteſt, utpote omniſcius, nec fallere vult, utpote veraciſſimus, ea revelavit, & nos de illis edocuit. Sicut enim ratio, propter quam fide humana credimus, eſt, quia homo ſciens, & verax nos de re aliqua ſic edocuit, quo poſſimus prudenter aſſentiri; ità etiam fide Divinâ credimus, quia DEUS omniſcius, & infinitè verax nos ſic edocuit, quo certi eſſe poſſimus nos non poſſe falli, aut errare. Hinc bene obſervat La Croix l. 2. n. 30. & 31. Rudem interrogatum: an hoc, vel illud myſterium credat? & reſpondentem: *credo*; item reci- 40

recitantem omnes articulos in Symbolo fidei contentos, nunquam credere fide Divina, licèt millies id præſtaret, niſì myſterio illi, aut articulis verum præſtet aſſenſum ex hoc motivo: *quia DEUS hoc revelavit; quia DEUS hoc docuit; quia DEUS hoc dixit*: ſolùm enim aſſentiri verbotenus, nulla eſt fides. Quòd ſi aſſentiatur ideò: *quia inſtruens, vel alius hoc dixit*, vel *quia ratio humana id ſuadet*, erit tantùm fides humana, vel opinio, vel ſcientia naturalis planè inutilis ad ſalutem, juſtificationem, vel meritum. Porrò ſi inſtruendus interroget: unde ſciatur, quòd DEUS hoc revelaverit? dicendum illi: ex S. Scriptura, & habendi in promptu aliqui textus illius myſterii, de quo procedit interrogatio, per quos id ipſum illi exhibeatur. Ità idem La Croix n. 34. Sed quia rudibus ſæpe præeundum eſt eliciendo actum fidei, idem eſt de actu ſpei, charitatis, contritionis, attritionis,

41 Q. 2. *Quomodo practicè elici poſſit actus fidei Divinæ?* ℞. Eum elici poſſe hoc, vel ſimili modo: O*mnia, mi DEus, quæcunque per Eccleſiam Unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam proponis credenda, firmiſſimè credo; quia tu ea revelâſti, utpote infinitè verax. In particulari verò firmiſſimè credo te eſſe Deum verũ, & unicũ, ſupernaturalẽ Remuneratorẽ bonorũ, & Vindicẽ malorũ, trinũ in Perſonis, ex quibus altera perſona pro ſalute humana eſt incarnata, paſſa, crucifixa, & mortua &c.*

Breviſ-

Breviſſimè ſic: *Credo, Domine, omnia, quæ credenda ſunt, vel credo hoc in particulari: quia tu DEus hæc, vel hoc in particulari revelâſti, & ità docuiſti.*

Q. 3. *Quod motivum ſit actûs ſpei Divinæ?* 42
℟. Cùm ſpes Divina, quæ *amor* eſt *concupiſcentiæ erga DEum* (quo Deum, & Divina præ omnibus aliis concupiſcibilibus nobis concupiſcimus, ità ut omnia potiùs parati ſimus perdere, quàm DEUM, & Divina) duos actus includat, videlicet *deſiderium boni*, quod à Deo exoptamus, & quandam *confidentiam*, atque *erectionem animi* ſibi quaſi ſpondentis bonum illud deſideratum à Deo eſſe obtinendum, quod innuit Trid. Seſſ. 6. de Juſtif. c. 6 dicens peccatorem in ſpem erigi fidentem Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore; ideò ſpei duplex motivum aſſignatur. Et primò quidem, *prout dicit deſiderium boni* aſſignatur, Dei Bonitas, in quantum illa nos æternùm poteſt reddere beatos, quæ in Scholis vocari ſolet *Bonitas reſpectiva*; *prout* verò *dicit confidentiam, & animi erectionem*, motivum eſt tum *fidelitas Dei*, quâ fideliſſimus eſt in promiſſis ſervandis, *tum omnipotentia*, quâ potens eſt omnia, quæ promiſit, adimplere; tum *miſericordia*, quâ dare vult auxilia ad ea, quæ promiſſa ſunt, conſequenda. Unde qui ſpe Divina ſperat, ideò ſperat: quia DEUS, in nos etiam, ſummè bonus, fidelis, omnipotens, & miſericors eſt. Tradit hoc etiam Trid. Seſſ. 6. de Juſtif. c. 16. ubi ſic: *In DEO ſperantibus proponenda eſt*

vita

Digitized by Google

vita æterna. & tanquam gratia filiis DEI per Chriſtum JEſum miſericorditer promiſſa, & tanquam merces ex ipſius DEI promiſſione bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddenda.

43 Q. 4. *Quomodo practicè elici poſſit actus ſpei Divinæ?* ℟. Eum elici poſſe hoc, vel ſimili modo: *Spero in te, & à te, mi DEus, omnia, imprimis pro vita altera beatitudinem æternam, pro iſta verò vita media ad illam beatitudinem conſequendam neceſſaria, & in particulari peccatorum remiſſionem, gratiam ſanctificantem, præſertim in fine vitæ; quia tu es ſummum animæ meæ bonum; quia tu es virtus mea auxiliatrix; quia tu promiſiſti, qui in promiſſis tuis es fideliſſimus, potentiſſimus ſervare, & miſericordiſſimus, ut ſerves.* Breviſſimè ſic: *Spero in te & à te Domine gratiam N. quia bonum animæ meæ ſummum, infinitè fidelis, infinitè potens, infinitè miſericors es.*

44 Q. 5. *Quod motivum ſit actûs charitatis, ſeu perfecti amoris DEI?* ℟. Actûs charitatis, ſeu perfecti amoris DEI, utpote actus amoris *amicitiæ, & benevolentiæ*, quo DEO bene volumus, & omnia bona ipſi cupimus ob ſummam, & infinitam Divinæ naturæ perfectionem, pro motivo habet *Bonitatem DEI abſolutam*, ſeu DEUM, prout in ſe eſt *ſummum, & infinitum bonum*. Ideò proinde actu hoc amatur DEUS, quia ſummum bonum, id eſt,

eſt, ſummè, & infinitè perfectus eſt. Ut autem amor hic ſit perfectus, debet voluntas *ſeriò*, & *efficaciter* ſic eſſe conſtituta, ut quamvis nec Cœlum eſſet, nec infernus nec prœmium ullum ſperandum, nec pœna à DEO timenda, tamen amaretur DEUS propter ſe; quia in ſe ſummè bonus eſt. Ex quo facilè ſequitur primò charitatem, ſeu amorem DEI perfectum talem eſſe oportere, ut eo voluntas bonitatem DEI appretiet ſuper omnia bona creata, eámque omni creatæ bonitati præferat. Sequitur 2. charitatem, ſeu amorem DEI perfectum non eſſe, dum ideò amatur DEUS, quia amanti bonus eſt. e. g. quia illum creavit, redemit, ſanctificavit: talis enim amor, amor eſt concupiſcentiæ, non amicitiæ, & benevolentiæ. Quia nihilominùs talis imperfectus amor perbene diſponit ad amorem perfectum, ſuadendum omnino eſt ordinariè, ut amori perfecto præmittatur; ideóque Confeſſarius diſponere volens pœnitentem ad contritionem quæ eſt dolor ex motivo charitatis, ùt dicetur. Q. 7. priùs eundem diſponat ad amorem imperfectum proponendo ipſi beneficia Creationis, Redemptionis, Sanctificationis, Conſervationis, aliáque innumera.

Q. 6. *Quomodo practicè elici poſſit actus* 45
amoris DEI? ℞. Amorem DEI *imperfectum*
elici poſſe hoc, vel ſimili modo: *Amo te,
mi DEUS, quia creâſti, redemiſti, ſanctificâſti, & conſervas me, innumeriſque quoti-*

die

die beneficiis cumulas in hac vita, atque pro futura æternam mihi paras beatitudinem. *Perfectum* ſic, vel ſimiliter: *Amo te, mi DEUS, quia DEUS es ob infinitas perfectiones tuas omni amore digniſſimus; quia omne bonum es in te ipſo propter te ſumme æſtimandus, colendus, honorandus, licèt nec præmium à te ſperandum, nec pœna timenda foret. Has tuas perfectiones tibi ex animo faveo, gratulor, & gaudeo te à creaturis tuis æſtimari, coli, & honorari, & ut omnes te æſtiment, colant, & honorent, toto corde exopto.* Uterque ſtringi poteſt ſic: *Amo te; ô Deus! quia me innumeris beneficiis cumulâſti, ſed magis ideò, quia ipſe propter te es omni amore digniſſimus, & propter infinitam tuam bonitatem, ac perfectionem amabiliſſimus, quo amore te amarem, licèt nec Cœlum in præmium, nec Infernum in pœnam proponeres.*

46 Q. 7. *Quod motivum ſit actus contritionis?* Antequam Reſpondeam, prænoto contritionis definitionem, quæ traditur à Tridentino Seſſ. 14. de S. Pœnit. Sacram. c. 4. his verbis: *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor, ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.* Ubi etiam idem Trid. dividit contritionem in *perfectam*, ſeu *charitate formatam*, quæ antonomaſticè dicitur *contritio*, & in *imperfectam*, quæ vocari ſolet *attritio*, quæque vel *ex turpitudinis peccati* *conſi-*

conſideratione, vel ex gehenna, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, ùt idem Trid. ibidem loquitur; ubi etiam de illa hæc addit: *Quamvìs ſinè Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit.* His prænotatis. ℞. *Contritionis perfectæ*, ſeu *charitate formatæ* idem motivum eſſe, quod aſſignatum eſt pro actu charitatis, videlicet *Bonitatem Dei infinitam à dolente & pœnitente offenſam.* Unde tunc pœnitens *perfectè* conteritur, quando de ſuis peccatis, vel peccato dolet ideò, quia per illa, vel illud ſummam DEI Bonitatem offendit, doléretque, quantumvìs nec Cœlum eſſet, nec Infernus, nec prœmium ullum peccato deperditum, nec pœna ulla expectanda foret. Motivum *imperfectæ contritionis*, ſeu *attritionis* eſt, ùt colligitur ex Trid. cit. vel turpitudo peccati, vel gehennæ, & pœnarum metus, vel amiſſio præmii. Unde tunc pœnitens *imperfectè* conteritur, ſeu atteritur, quando ideò dolet, quia v. g. turpe eſt, quòd homo baptizatus peccaverit, quòd cœlum perdiderit, quòd gehennam, purgatorium, vel aliam pœnam à DEO juſto Vindice per fidem cognito infligendam meruerit. Ex quibus patet, quòd attritio nè quidem pro motivo inadæquato bonitatem DEI ſuper omnia diligendi requirat; alioquin enim actus eſſet

charitatis Theologicæ, & ſinè Sacramento juſtificaret, ſicut contritio, quod eſt contra Trid. cit. Plura de utraque contritione §. ſequenti.

47 Q. 8. *Quomodo practicè elici poſſit actus contritionis tum perfectæ, tum imperfectæ?*

℟. Contritionem *perfectam* elici poſſe hoc vel ſimili modo: *O Deus, ſumma, & infinita Bonitas, doleo, quòd te offenderim & plùs doleo, quàm ob quodcunque aliud malum.* Vel *Amo te, Deus omni amore digniſſime, utpote bonitatis, & perfectionis infinitæ, & ex amore hoc doleo, quòd te viliſſimus homuncio tam indignè offenderim.* Vel: *Amo te, Deus infinitè bonus, plùs quàm me, & plùs quàm omnia, & ex amore hoc deteſtor omnia peccata, quia tibi ſummè bono diſplicent; doleo de omnibus, non quia demeritus ſum præmia, & gratias tuas, & pœnas à Divina tua juſtitia promeritus; ſed ideò, quia diſplicui, & malum feci tibi, qui licèt nec Cœlum eſſet nec Infernus, attamen propter infinitam bonitatem, & perfectionem tuam eras, & es digniſſimus non offendi, ſed ſemper amari, coli, & honorari.* Contritio *imperfecta*, ſeu attritio elici poteſt ſic: *Quid egi miſer peccator? qui Deum offendendo & Cœlum perdidi, & Infernum, aliáſque pœnas à Deo juſto Vindice promerui. Deteſtor malitiam meam originem tanti detrimenti.* Vel ſic: *Liberaliſſime bonorum Remunerator, & juſtiſſime malorum Vindex Deus, ecce ad pedes tuos me pro-*

jicio

jicio pudore confuſus, dolore afflictus ob enormem malitiam meam, quâ te offendi. Oro ſupplex veniam, & quantum poſſum eam deteſtor, videns quòd tuo beatiſſimo conſpectu privari, & ignibus ſempiternis adjici meruerim: Vel, ſi venialia tantùm commiſſa ſunt: *quòd tam diu beata tui viſione privari, & graviſſimis in purgatorio tormentis addici meruerim.* Breviſſimè ſic: *Doleo, mi DEus, quòd te offendendo Cœlum amiſerim & gehennæ ignes promeritus ſim.* Circa hos actus ſuadendum, ut ſi pœnitens ad dolorem diſponendus ſit, initium ſumatur à propoſitione motivorum attritionis v. g. Cœli amiſſi, aut Inferni promeriti; & ubi his eum moveri contigerit procedatur ad propoſitionem beneficiorum Dei, Creationis, Redemptionis &c. ut concipiatur Dolor ex amore concupiſcentiæ; & cùm hic impetratus fuerit, proponantur DEI perfectiones, ut his propoſitis obtineatur dolor ex amore benevolentiæ, ſeu *perfecta contritio.* Ratio eſt: quia minùs in ſpiritu fundatus, qualis eſſe ſolet, qui diſpoſitione ad dolorem indiget, magis moveri ſolet præmio amiſſo, & pœnâ promeritâ, quæ concernunt ſolùm amorem proprium, quàm aliis, quæ concernunt amorem alterius, qualis eſt amor Dei. Et iterum magìs flectit amor alterius, ubi miſcetur amor ſui, qualis eſt amor Dei, qui *concupiſcentiæ* dicitur, quàm amor purè alterius, qualis eſt amor DEI, qui *benevolentiæ* nuncupatur.

§. IV.

De Scientia partium Pœnitentiæ.

48 Q. 1. *Quænam ſint partes Sacramenti Pœnitentiæ?* ℞. Quemadmodum omnia Sacramenta *perficiuntur rebus tanquam materiâ, & verbis tanquam formâ*, ùt loquitur Flor. ſic etiam hoc Sacramentum perficitur rebus tanquam materiâ, & verbis tanquam formâ. Ex quo ſequitur, ùt in aliis Sacramentis, ità etiam in hoc partes *eſſentiales* eſſe *materiam* . & *formam*.

49 Q. 2. *Quæ ſit materia hujus Sacramenti?* ℞. Eam eſſe duplicem, *remotam* videlicet, ſeu peccatum poſt Baptiſmum commiſſum,& *proximam*, ſeu actus pœnitentis, qui ſunt *Contritio*, *Confeſſio*, & *Satisfactio.* Utramque aſſignat Trid. Seſſ. 4.c.5. de S. Pœnitent. Sacr. ubi ſic de *remota* loquitur: *Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in Confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint, & tantùm adversùs duo ultima Decalogi præcepta commiſſa - nam venialia, quibus à gratia DEI non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quanquam rectè, & utiliter, citràque omnem præſumptionem in Confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat, taceri tamen*

men citra culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt. Et eadem Seſſ. c. 3. De *proxima* hæc habet: *Sunt autem quaſi materia hujus Sacramenti ipſius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confeſſio & Satisfactio.* Utramque etiam indicat Catech. Rom. p. 2. de Pœnit. Sacram. c. 5. num. 12. Ubi de *remota*, *ſeu de peccatis* ità loquitur: *Ut enim ignis materiam ligna eſſe dicimus, quæ vi ignis conſumuntur, ità peccata, quæ pœnitentiâ delentur, rectè hujus Sacramenti materia vocari poſſunt.* Quo indicat peccata non eſſe materiam *ponendam*, vel *adhibendam*, qualis eſt in aliis plerisque Sacramentis, ſed *deſtruendam*, & *abolendam.* De *proxima* autem, ſeu de actibus Pœnitentiæ, hæc notat: *Neque verò hi actus quaſi materia à S. Synodo* (Tridentina) *appellantur, quia veræ materiæ rationem non habeant; ſed quia ejus generis materia non ſint, quæ extrinſecùs adhibeatur, ut aqua in Baptiſmo, & chriſma in Confirmatione.* De Satisfactione illud inſuper notandum venit, eam non eſſe Sacramenti Pœnitentiæ *partem eſſentialem*, ſed *integralem tantùm*, ac ideò, dum pœnitens contritione debitè elicita, & Confeſſione rite peracta, à peccatis abſolvitur, fructum Sacramenti hujus omnino conſequitur, peccatorum videlicet perfectam remiſſionem.

Q. 3. *Quotuplex ſit materia remota?* ℟. Ex cit. Trid. textu, uti & ex can. 7. patere *mortalia peccata poſt Baptiſmum commiſſa*

 (nam

(nam *ante* vel *concomitanter* cum Baptiſmo commiſſa delentur per Baptiſmum) eſſe materiam *neceſſariam*, ſeu quæ ſi commiſſa, & necdum expiata ſint, neceſſariò debent ſubjici clavium poteſtati; *venialia* verò eſſe materiam *non neceſſariam*: quia, ùt idem Sacrum Concilium loquitur, *taceri citra culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt*; eſſe tamen materiam *ſufficientem*, quæ ſi etiam nullum mortale gravet conſcientiam, ſufficiant ad Sacramentum hoc, ejúſque fructum conſequendum. Quod indicatur per verba: *Quanquam rectè, & utiliter, citráque omnem præſumptionem in Confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat* ex eodem Concilio adducta Indicatur id ipſum can. 7 cujus verba: *Si quis dixerit non licere confiteri peccata venialia, anathema ſit.*

51 Q. 4. *An materia ſufficiens ſint imperfectiones ſeu actiones tales, quæ ſolùm ſunt contra conſilium, aut regulas non obligantes ſub peccato; itèm quæ, cœteroquin peccaminoſæ, fiunt cum inadvertentia omni?* ℞. Negativè, *per ſe loquendo; per accidens* tamen poſſunt eſſe materia, ſi adjunctum habeant veniale peccatum, ùt ordinariè ob negligentiam aliquam, contemptum &c. cenſet adjunctum eſſe La Croix l. 5. n. 211. & n. 214. Ratio eſt: quia imperfectiones *purè tales* non ſunt *propriè* peccatum. Proinde ut Sacramentalis ſit abſolutio, oportet adde-

ere peccatum aliquod veniale, ſaltèm ex
terita vita.

Q. 5. *An mortalia jam confeſſa, & remiſ-* 52
ſint materia ſufficiens? ℟. Affirmativè. Do-
hoc continua praxis fidelium piorum, etiam
ctorum, eadem peccata ſæpius confitenti-
, præcipuè per generales Confeſſiones,
laudabiles, ità utiles; quam diuturnam
axim Eccleſia non toleraret, niſì eſſent ſuffi-
ens materia; cùm cœteroquin Sacramentum
poneretur invaliditati. Ratio prætereà eſt:
ia *peccatum ſecundùm ſe ùt commiſſum poſt*
aptiſmum eſt materia ſufficiens: cùm circa
ud ſuffi ienter verſari poſſit actus Pœniten-
æ, Contritio, Confeſſio, & Satisfactio. Sa-
ienter tamen monet Laym. l. 5. tr. 6 c. 3. n.
. ex Richard. *ut reſpectu ejuſdem peccati non*
teretur Confeſſio, niſì adveniente novo motu
devotionis, vel novâ erubeſcentiâ de peccato,
ad ſervandam videlicet reverentiam Sacra-
mento.

Q. 6. *An peccata mortalia inculpabiliter* 53
omiſſa ſint materia neceſſaria? ℟. Affirmativè.
Idem dicendum de mortalibus per actum cha-
ritatis, vel contritionis extra Pœnitentiæ Sa-
cramentum deletis. Ratio eſt: quia Sacerdos
à Chriſto conſtitutus Judex necdum de illis
tulit ſententiam, neque poteſt pro qualitate
delicti imponere ſatisfactionem tum *puniti-*
vam, tum *medicinalem*, niſì peccata directè
clavibus ſubjiciantur. Unde meritò damnata

eſt ab Alex. VII. ſequens propoſitio 11. inter 28. *Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti Confeſſione exprimere.*

54 Q. 7. *An mortalia dubia ſint materia neceſſaria?* ℞. Si *dubia* ſint *poſitivè*, id eſt, ſi pro parte negativa, & affirmativa habeantur rationes, & motiva gravia, an ſint re ipſa mortalia, non eſſe materiam neceſſariam. Quam ſententiam Sanchez, Illſung, & Sporer apud La Croix L. 6. p. 2. n. 600. vocant communem, Haun. unanimem Theologorum. Ratio eſt: quia in tali dubio ſequi licet ſententiam probabilem, vel quòd ſimpliciter non fuerint peccata, vel quòd non fuerint mortalia. E contrà ſi pro hoc, quòd ſint mortalia, habeantur motiva gravia; pro hoc verò, quòd mortalia non ſint, habeantur levia tantùm, ſunt materia neceſſaria. Ratio eſt: quia in tali dubio pœnitens non poteſt ſibi formare prudens dictamen, quòd non peccaverit mortaliter. Si *dubia* ſint *ex utraque negativè*, ſeu ſi pro negativa, & affirmativa parte leves duntaxat habeantur rationes, alii quidem affirmant, alii autem negant obligationem peccata ita dubia confitendi: utraque ſententia eſt probabilis; pro utraque enim parte & copioſa ſtat authoritas, & ratio. Et quamvìs La Croix cit. n. 60. cenſeat affirmativam, quæ aſſerit neceſſariò confitenda, eſſe abſolutè probabiliorem; quia tamen, ubi de valore Sacramentorum non agitur, prout non agitur hìc, licet ſequi

ſequi ſententiam etiam minùs probabilem probabiliore relictâ, bene arguitur ſic negativè dubitantem non teneri peccata in Confeſſione manifeſtare. Nec diſparitatem video, ob quam *peccata poſitivè dubia* confiteri non ſit neceſſe, peccata autem ſic *negativè dubia* confiteri ſit neceſſe. Imò ſi alterutra confitendà neceſſariò forent, dicere mallem, *poſitivè dubia* eſſe confitenda præ *dubiis negativè*; quia in dubio priore habentur ex una parte graves rationes, quòd, de quibus dubitatur, ſint mortalia; in dubio autem poſteriore, aut nullæ, aut leves pro hoc ipſo ſtant rationes. Pro pace tamen conſcientiæ non rarò utile eſt, peccata maximè *poſitivè dubia* cum peccatis certis explicato dubio ſubjicere clavibus. Excipe niſi pœnitens ſit nimis anxius, & ſcrupuloſus; tali enim omnino hoc non expedit.

Q. 5. *Quid ſciendum Confeſſario de prima parte Sacramenti Pœnitentiæ, ſive de contritione?* ℞. Scire eum oportet 1. Quid, & quotuplex ſit contritio? contritio videlicet *perfecta*, quæ eſt *contritio antonomaſticè talis*, & *imperfecta*, quæ eſt *attritio*. 2. Quæ utriuſque motiva, & quomodo elici debeat, de quo §. præced. 3. Qualis debeat eſſe dolor, ut contritio imperfecta ſufficiat ad Sacramentum, videlicet, quòd debeat eſſe dolor *ex motivo honeſto*, & *ſupernaturali*, cujus ſignum eſt, ſi ex fide Divina procedat. 4. Quòd deceat eſſe *verus*, & *non exiſtimatus* 55

tantùm: quia exiſtimatus dolor nullus eſt dolor. 5. Quòd debeat eſſe *efficax*, ſeu talis, qui voluntatem peccandi excludat, ùt loquitur Trid. Seſſ. 14. c. 4. de S. Pœnit. Sacram. 6. *Formalis*, qui *expreſsè* & *actualiter* deteſtetur peccatum. 7. *Univerſalis* reſpectu mortalium, ſeu talis, qui ſe non tantùm ad unum, ſed ad omnia expianda extendat, licèt reſpectu venialium ſufficiat particularis, cùm unum ſinè altero remitti poſſit, quod in mortalibus fieri nequit. 8. *Senſibilis*, ſeu per aliquod ſignum manifeſtatus, cùm debeat eſſe Sacramentalis. 9. Quòd non debeat eſſe *moraliter interruptus*, aut *revocatus*. 10. Quòd debeat eſſe *cum propoſito non peccandi de cætero*, ùt idem Trid. loco cit. indicat. De hoc

56 Q. 9. *Quid eidem ſciendum de propoſito?*
℟. Quòd debeat eſſe *efficax*, ſeu tale, quo voluntas pœnitentis omnino, ac firmiter velit peccata vitare, & ad illa vitanda media conducentia adhibere. 2. Quòd hoc propoſitum ſe extendere debeat ad omnia mortalia, non tantùm commiſſa, ſed etiam ad omnia, quæ committi poſſunt. 3. Quòd ſe pariter extendere debeat ad *occaſiones proximas*, ſeu illas, in quibus vel ſemper, vel à potiori inciditur in peccatum, vitandas, aut ſaltèm ex proximis, ſi evitari nequeant, remotas faciendas. 4. Quòd tametſi ſententia ſit probabilis ſufficere propoſitum *implicitum* in dolore efficaci incluſum; nove-

noverit tamen in pœnitente procurare, ſi intermittatur, propoſitum *explicitum* pro ſua, & pœnitentis ſecutirate.

Q. 10. *Quid illi ſciendum de altera parte, ſeu de Confeſſione?* ℟. Scire illum oportet modum exactum Confeſſiones excipiendi. Deinde qualem eſſe oporteat Confeſſionem pœnitentis, ſeu quas conditiones requirat, è quibus præcipuæ ſunt. 1. ut ſit *integra*, id eſt, peccatorum omnium quoad numerum, ſaltèm veriſimilem, & ſpeciem, uti & circumſtantias ſpeciem mutantes. De quo infra. 2. Ut ſit *vocalis*, & *ſecreta*, id eſt, ut fiat voce ſolùm ad aures Confeſſarii, non ſcripto, niſì *neceſſitas moralis* id exigat. 3. Ut ſit *pura*, id eſt, cum recta intentione. 4. Ut ſit *fidelis*, id eſt, ſinè mendacio. 5. Ut ſit *lacrymabilis*, id eſt, cum ſyncero dolore, & propoſito. 6. *Parere parata*, id eſt, ut pœnitens ſit paratus acceptare pœnitentiam injunctam, & remedia exequenda. 57

Q. 11. *Quid ipſi ſciendum de tertia parte, ſeu de ſatisfactione?* ℟. 1. Sciendum illi eſt: quæ pœnitentiæ tum *vindicativæ*, tum *medicinales* pœnitenti ſint imponendæ? 2. Quando imponi debeant graviores, quando leviores? 3. Quæ opera in pœnitentiam ſint injungenda? 4. Quomodò pœnitentiarum acerbitas ſit lenienda? 58

Q. 12.

59 Q. 12. *Quæ ſit forma Sacramenti Pœnitentiæ?* ℟. Hanc aſſignari à Trid. ſuprà cit. c. 3. ubi ſic: *Docet præterea S. Synodus Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipſius vis ſita eſt, in illis Miniſtri verbis poſitam eſſe: ego te abſolvo &c. quibus quidem de Eccleſiæ Sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur; ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ.*

Hæc de partibus pœnitentiæ inſinuata potiùs volui, quàm exactè diſcuſſa, utpote, quæ partim in *Methodo compendioſa munus Parochi Apoſtolicum ritè obeundi* jam exactiùs pertractata ſunt, partim de obligatione, & officio Confeſſarii Parte II. pleniùs diſcutientur.

§. V.

De Scientia peccati in genere.

60 Q. 1. *Quid ſit peccatum?* ℟. Juxta D. Auguſt. l. 22. contra Fauſtum c. 27. quem ſequitur S. Thomas 1. 2. q. 71. a. 6. Peccatum eſt *dictum, factum, concupitum contra legem DEI æternam.* Juxta Apoſtolum ad Rom. 2. 4. 5. c. Et alia multa Scripturæ loca. Itèm D. Ambr. l. de Paradiſo. c. 8. *prævaricatio, ſeu transgreſſio legis Divinæ.* Utraque bona eſt; circa primam tamen Laym. l. 1. t. 3. c. 1. n. 3.

Tria

Tria advertenda monet. 1. Quòd peccatum *commiſſionis* nihil ſit aliud, quàm actus humanus, quia voluntarius, & liber; ideò malus, quia caret debita commenſuratione cum lege æterna, quam ratio humana proponit. 2. Quòd per *dictum* etiam intelligatur *non dictum* per *factũ* etiã *non factũ*, per *concupitũ* etiã *non concupitũ*, quæ ſunt peccata *omiſſionis*. Rationẽ dat ex S. Thom. cit. quia affirmatio, & negatio reducuntur ad idem genus. 3. Quòd *dictũ factum*, *concupitum* peccata ſint, ſive ſint ideò prohibita, quia mala ſunt, ſive ideò mala, quia prohibita ſunt, id eſt: ſive ſint contra legem naturalem, ſive poſitivam etiam humanam; *qui enim reſiſtit poteſtati* (humanæ) *Dei ordinationi reſiſtit.* Ad Rom. 13. v. 2.

Q. 2. *Quotuplex ſit peccatum?* ℞. Generali diviſione dividitur in *originale*, & *perſonale*. *Originale* eſt, quod voluntate Adami Protoparentis eſu pomi vetiti commiſſum in totum humanũ genus, unâ exceptâ Im̃aculatâ Dei Im̃aculati Matre, ſuit propagatum. De quo Trid. Seſſ. 5. Decreto de peccato originali can. 3. *Quod origine unum eſt, & propagatione, non imitatione transfuſum*; additque in decreti fine: *Declarat tamen hæc ipſa S. Synodus, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato Originali agitur Beatam, & Imma-* 61

Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem. *Perſonale* eſt, quod ab Adami poſteris propria voluntate eſt commiſſum. Subdividitur autem perſonale in ***actuale***, & ***habituale***. ***Habituale*** dicitur, quod poſt actuale per modum habitualis defectûs permanet, donec deleatur, & emendetur. De *actuali*, quod maximè hujus loci eſt, & de quo accuſatio Sacramentalis procedere ſolet.

62 Q. 3. *Quotuplex ſit peccatum actuale?* ℞. Aliud eſſe ***cordis***, aliud ***oris***, aliud ***operis***, ſive aliud, quod ***corde*** ſolùm, & ***cogitatione***, aliud quod ***ſermone***, & ***loquelâ***, aliud quod ***opere externo*** committitur. Hæc diviſio etiam dici poteſt in ***internum***, & ***externum***: peccatum enim ***cordis internum*** eſt, ***oris***, *&* ***operis externum***. Conſtat hæc Diviſio ex data ab Aug. definitione. Porrò triplex hoc peccatum ſubdividitur in ***commiſſionis***, & ***omiſſionis***. ***Commiſſionis*** eſt, quod committitur ***contra praeceptum negativum***, ſeu tale, quod præcipit actum ponere v. g. actum furti. *Omiſſionis* eſt: quod eſt ***contra praeceptum affirmativum***, ſeu tale, quod præcipit actum ponere v. g. auditionem Sacri. Utrumque ulteriùs ſubdividitur in ***mortale*** & ***veniale***, de quibus §. ſequente.

63 Q. 4. ***Quas conditiones requirat, peccatum, ut verum peccatum cenſeatur?*** ℞. Has duas. 1. eſt ***actualis cognitio***, *&* ***advertentia rationis ad malitiam***, ſeu legis transgreſſionem, quæ ſi deſit, nullum unquam quocunque opere, vel

omiſ-

omiſſione committitur peccatum. Dixi: *actualis cognitio*: *habitualis* enim, quâ e. g. herì cognita eſt malitia *formalis*, non ſufficit; ſed debet tunc, quando in objectum malum conſentitur, adeſſe *actualis*, *ſaltèm tenuis*. *&* *confuſa*. Buſenb. l. 5. c. 1. Dub. 1. Inſuper debet malitiæ cognitio eſſe talis, ut advertatur non tantùm repugnare rectæ rationi, ſed etiam eſſe offenſam Dei, quæ poſterior quidem cum priore ordinariè, præſertim apud Chriſtianos, adeſſe cenſeri poteſt. 2. Eſt *liber conſenſus voluntatis*, quo voluntas amplectitur objectum malum fugiendum, vel reſpuit objectum bonum proſequendum ab intellectu propoſitum. Ratio pro utraque hac conditione eſt: quia peccatum omne eſt contra legem, eſt *vera*, & *formalis* prævaricatio, atque transgreſſio legis; nemo autem *verè*, & *formaliter* cenſetur transgredi legem, qui eam non cognoſcit, alioquin infnas ante rationis uſum, aut amens occidendo alterum *verè*, & *formaliter* peccaret; vel qui eam cognoſcit quidem, ſed contra agere non vult; alioquin ipſe etiam DEus, qui legem omnem, & peccati malitiam exactiſſimè cognoſcit, omnium peccatorum foret reus. De 1. Conditione.

Q. 5. *An omnis ignorantia, & inadvertentia excuſet à peccato?* ℞. Negativè. Si enim 64
ignorantia *vincibilis* ſit, & *culpabilis*; non excuſat. Dicitur autem ignorantia *vincibilis*, quæ

adhibi-

adhibitâ convenienti diligentiâ, conſulendo v. g. duos, vel tres viros doctos, & veraces vinci poteſt; ut verò *culpabilis* ſit, Stoz. l. 1. p. 5. q. 2. n. 16. bene docet, non ſufficere, quòd prohibitio potuerit, & debuerit ſciri, & tamen ignoretur, ſed debere etiam adeſſe actualem cognitionem, aut ſcrupulum de tali obligatione. Hinc quietus poteſt eſſe in conſcientia, qui maturior factus agnoſcit pollutionem v. g. ex genere ſuo mortale, ſi, cùm eam junior exerceret, nè tenuiſſimam de morali ejus malitia cognitionem, ſuſpicionem, aut dubitationem habuit. Stoz. cit. n. 19. Itèm qui videt poſt peccatum perpetratum eidem peccato ineſſe diverſas ſpecificas malitias, ſi, dū illud exerceret, nulla ſimpliciter illi de his cogitatio incidit. Sanchez. l. 1. Mor. c. 16. n. 10. Itèm qui poſito actu agnoſcit eum de ſe eſſe mortalem, quem venialem eſſe cenſuit, dum illum poneret, nulla pariter cogitatione de mortali malitia, vel ejus periculo ipſi incidente. Stoz. cit. n. 25. Itèm qui non advertit diſtinctè, & determinatè malitiam mortalem, vel ejus periculum, ſi nulla de mortali hac malitia illi occurrat cogitatio, ſcrupulus, ſuſpicio, aut dubitatio. Ex quo ſequitur motus ſenſualitatis, prævenientes uſum rationis, nullum ſimpliciter eſſe peccatum; ſi tamen advertantur, nec reprimantur, verum eſſe peccatū. Ratio eſt; quia in priore ſtatu deeſt, in altero adeſt advertentia. Ratio horum omnium eſt; quia ubi non agnoſcitur culpa ſimplici-

plicitet, non poteſt voluntati imputari culpa ſimpliciter; ubi non agnoſcitur ullatenus culpa mortalis, non poteſt voluntati imputari culpa mortalis; & econtrà.

Q. 6. *Quæ advertentia requiratur ad conſtituendum peccatum mortale?* ℞. Non ſufficere advertentiam *ſemi-plenam*, ſed requiri *plenam* & *perfectam*. Bon. Diſp. 2. de peccat. q. 2. p. 3. n. 3. Tunc verò adeſſe cenſetur advertentia *plena*, quando malitia objecti, vel ejus periculum cognoſcitur clarè, & expreſsè. Tunc econtrà cenſetur adeſſe *ſemi-plena*, quando objecti malitia, vel ejus periculum cognoſcitur tantùm obſcurè, & quaſi tenebris involutum Prior explicari ſolet per hominem perfectè vigilem objecta clarè cognoſcentem, altera per hominem à ſomno non plenè, & perfectè excitatum. Cauſa ſemi-plenæ advertentiæ eſſe poteſt vel animi diſtractio ad res alias, vel paſſio vehemens iræ, triſtitiæ, timoris, &c. quibus animus abripitur cogitatione ſolius proprii mali, vel boni. De altera Conditione 65

Q. 7. *An ad peccata ſufficiat libertas à coactione, tametſi non adſit libertas à neceſſitate?* ℞. Sola libertas à coactione non ſufficit, ſed ut peccare quis cenſeatur, voluntas debet non tantùm non cogi, ſed etiam libera eſſe *libertate indifferentiæ*, quâ peccare poſſit, vel non 66

peccare, neque ad peccandum neceſſitari. Unde meritò ab Innoc. X. Alex. VIII. Clem. XI. damnata eſt hæc Janſenii propoſitio n. 3. *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* Similiter non ſufficit *libertas* indifferentiæ *in cauſa*, ſeu libertas *mediata*, ſed debet libertas indifferentiæ eſſe *in ipſo peccante*. Hinc ab Alex. VIII. damnata eſt etiam hæc propoſitio num. 1. *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit libertas, quâ voluntarium, ac liberum fuit in cauſa ſua peccato originali, & voluntate Adami peccantis.*

67 Q. 8. *Qualis conſenſus ad peccatum requiratur?* ℞. Ad peccatum mortale requiri conſenſum ex *plena* advertentia procedentem; nam ſi procedat ex *ſemi-plena*, quod cum plena fuiſſet mortale, cum ſemi-plena erit tantùm veniale. Ità Communis. Et Ratio eſt: quia advertentia ſemi-plena imminuit voluntarium, ità ut, ſi plena adeſſet, ſæpe non peccaretur. Signa *Semi-plenæ* advertentiæ (unde *plena* quoque colligi poteſt) aſſignat Stoz ſuprà citatus à n. 36. 1. Eſt *conditio materiæ*: ſi enim materia levis ſit, & tali homini non communiter nota, cenſebitur ſemi plenam habuiſſe advertentiam. 2. Eſt *conditio operantis*, ſeu *qualitas conſcientiæ*; ſi peccatum reſpectu illius non communiter eveniat. Unde timoratæ con-

conſcientiæ homo raró, aut nunquam peccans mortaliter, ſi dubitet, num conſenſerit, præſumere poteſt de negativa. 3. Eſt *ſtatus operantis*, ſeu *diſpoſitio* ad deliberandum requiſita: ſi v. g. fuit deliberando valde diſtractus, vel paſſione abreptus. 4. Eſt *teſtimonium propriæ conſcientiæ* dictans non adfuiſſe conſenſum plenum. 5. Eſt *à poſteriori*, ſi poſt factum quis ſtatim dubitet, vel pœniteat; in recenti enim mortalis malitia facilè agnoſcitur. 6. *Ex defectu ætatis*, ùt ſi ſeptennium necdum ſit completũ, niſì malitia ſuppleat intellectum. 7. Eſt, ſi quis poſſit exequi peccatum, illúdque, cùm ſibi compos eſt, non exequatur. 8. Eſt, ſi quis conetur conſurgentem motum illico repellere. Solam delectationis perſeverantiam, etiam poſt plenam advertentiam ait non eſſe ſignum ſufficiens præſtiti conſensûs. Addit demum, hæc indicia eſſe conjecturas non inanes, veritatem tamen ſic non exhibere de conſenſu non præſtito, ut obligationem confitendi id, de quo dubitatur, auferat. Quæ monitio certa videtur, ſi univerſaliter loquamur. In particulari verò poſſunt quædam ex illis non raró ità clara eſſe, ut omnino prudens judicium fundent de conſenſu pleno nequaquam præſtito.

℞. Jam 2. cum Regin. l. 11. c. 5. n. 43. Non modò *formalem*, ſed etiam *virtualem*, & *interpretativum* conſenſum voluntatis ſuffi- 68

cere ad peccatum. Rationem dat: quia talis conſenſus ſufficit ad voluntarium deliberatum. Eſt autem conſenſus *formalis*, cùm quis formali, & poſitivo actu voluntatis ſibi complacet in eo, quod intellectus practicus deliberatè judicat, ùt ſi quis actu velit proximum occidere. *Virtualis* eſt, qui ex ſua natura includitur in conſenſu formali, ùt fit, quando duo aliqua, vel plura ſunt ità connexa, ùt unum per ſe ad alterum conſequatur, vel ex natura rei, vel hominum inſtitutione. Sic qui conſentit in luſum tempore Sacri audiendi, cenſetur virtualiter conſentire in omiſſionem Sacri. Tali caſu autem debet cognoſci hæc connexio, ob quam malum conſequitur; ſi enim malum, quod conſequitur, non cognoſcatur, non erit voluntarium. Deinde debet malum connexum *per ſe* eſſe connexum; ſi enim *per accidens tantùm* connexum ſit, non cenſetur vi alterius ſequi. Excipe, niſì exſtet obligatio id, ex quo alterum per accidens conſequitur, non ponendi. Præthereà *virtualis* conſenſus tunc dicitur, quando formalis conſenſus per diſſenſum necdum moraliter deſiit. Sic cenſetur virtualis conſenſus in furtum, ſi elicito formali conſenſu fur progrediatur ad locum furti committendi, licèt tunc conſenſum formalem non eliciat. *Interpretativus* conſenſus eſt, cùm quis circa objectum malum tenetur elicere diſſenſum, neque elicit, ſed eum ſuſpen-

ſpendit, ità, ut nec conſentiat, nec diſſentiat. Sic qui in ſe ſentit turpes cogitationes, vel motum, & hæc quidem poſitivè non approbat, ſed tamen etiam non reſiſtit, cenſetur interpretativè conſentire. Ex dictis de conſenſu inferes, incidentias quaſcunque, itèm motus ſenſualitatis quoſcunque, rationem peccati non habere, niſì illis ſaltèm ſemi-plenus conſenſus præſtetur.

§. VI.

De Scientia peccati mortalis, & venialis.

Q. 1. ***Quid ſit peccatum mortale, & veniale?*** ℞. cum Laym. l. 1. tr. 3 c. 5. n. 1. Peccatum ***mortale*** illud dici, quod ob gravitatem ſui gratiam, & amicitiam cum DEO ſolvit, pœnamque æternam meretur, ſeu, ùt loquitur Trid. Seſſ. 14. c. 5. de S. Pœnit. Sacram. quod ***homines iræ Filios, & DEI inimicos*** reddit. Dicitur autem ***mortale***: quia tollendo gratiam DEI ſpiritualis vitæ principium auſert, & animæ mortem infert. ***Veniale*** econtrà eſt, quod ob levitatem gratiam, & amicitiam cum Deo non tollit, neq; æternã, ſed temporalẽ pœnã meretur. Unde de venialibus Trid. cit. ***quibus à gratia DEI non excludimur.*** Dicitur ***veniale***, 69.

quòd veniam facilè conſequatur. Proinde mortale differt à veniali 1. Quòd mortale tollat ſimpliciter gratiam, & amicitiam cum Deo, veniale autem eam non auferat, ſed tantùm imminuat fervorem charitatis. 2. Quòd mortale mereatur pœnam æternam, veniale verò ſolùm temporalem.

70 Q. 2. *Unde peccatum dignoſcatur eſſe mortale?* ℞. Suppoſita actûs perfectione, malitiam mortalem colligi 1. ex *Scripturæ* teſtimoniis, quæ vel amiſſionem Cœli, vel pœnam inferni peccatori comminantur, vel adducendo graves ſimilitudines, aut uſurpando verba alia ponderoſa, gravitatem peccati explicant. Talia ſunt ad Galat. 5. v. 19. 20. & 21. *Manifeſta ſunt autem opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria,* &c. *Quoniam, qui talia agunt, Regnum Dei non conſequentur.* Et ad Eph. 5. v. 5. *Hoc enim ſcitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus (quod eſt idolorum ſervitus) non habet hæreditatem in regno Chriſti, & DEI.* 2. Colligitur *ex præſtantia virtutis oppoſitæ,* vel *ex tendentia in objectum, ubi* & ex *materia gravi*, circa quam peccata verſantur: & hæc peccata mortalia dicuntur mortalia *ex genere ſuo*, tendúntque directè in injuriam DEI, vel damnum proximi; aut ipſius operantis grave incommodum adjunctum habent contra naturæ ordinem. Qualia ſunt peccata contra virtutes Theologi-

cas,

cas; religionem, juſtitiam, proximi charitatem, denique quæ ad luxuriam pertinent, ſicut cum Communi docet Sanchez 1. Mor. c. 1. n. 4.

Q. 3. *Unde peccatum dignoſcatur eſſe veniale?* ℞. Pro hoc dignoſcendo à Laym. l. 1. tr. 3. c. 5. n. 4. Azor. t. 1. l. 4. c. 9. q. 7. Sanchez l. 1. Mor. c. 1. tria ſigna ſtatui. 1. Eſt *ex natura, & genere peccati.* 2. *Ex materiæ levitate.* 3. *Ex imperfectione actûs.* *Ex natura & genere ſuo* veniale dicitur, quod *per ſe*, & *abſolutè* ſpectatum ſecundùm proprium objectum non habet gravem cum recta ratione, & lege Dei diſſonantiam, utpote nec directè in DEI injuriam tendens, neque cum proximi injuria, aut ipſius operantis incommodo connexum. Talia ſunt cogitatio vana, verbum otioſum &c. Ex *materiæ levitate* dicitur veniale, quod quidem ex genere ſuo mortale eſt, tunc nihilominùs tantùm veniale, cùm materia, ſive objectum exiguum eſt. Tale eſt furtum, quod *ex ſe* eſt grave; ob levitatem tamen materiæ eſt veniale. Ex *imperfectione actûs* veniale eſt, quod de ſe etiam quidem mortale eſt; ob advertentiam tamen non plenam, aut non plenum conſenſum veniale nequaquam excedit. 71

Q. 4. *Quomodo dignoſcendum, an peccatum contra legem humanam ſit malitiæ mortalis?* ℞. cum Regin. l. 15. c. 6. S. 2. n. 46. Videndum, an in materia gravi, vel *ex ſe*, vel 72

ex fine ſuo, ad quem lex tendit, legislator velit ſub mortali obligare. Quod agnoſci poteſt, 1. Si perſpicuè hanc ſuam intentionem Legislator declaret. 2. Si legem ferat *abſolutè*, & *illimitatè* in materia gravi, nec ullatenus indicet ſe ſub mortali obligare nolle. 3. Si in Lege addat particulas, ejusmodi intentionis indices, dicendo v. g. *Præcipimus, prohibemus ſub interminatione Divini judicii, ſub indignatione DEI, & Apoſtolorum Petri, & Pauli &c.* Ex pœna enim gravi benè colligitur culpa gravis. Similis pœna etiam eſt addita Legi excommunicatio, præſertim latæ ſententiæ, item degradatio. De pœna irregularitatis verò, ſuſpenſionis, interdicti ſtat in partem utramque tum Authoritas, tum ratio.

73. Q. 5. *An omnia peccata ex genere ſuo mortalia ob materiæ levitatem reddi poſſint venialia?* ℞. Negativè, Ità Laym. cit. c. 5. n. 6 Rationem dat, quia quædam peccata ſunt, quorum objectum, etſi *materialiter* parvum videatur, *formaliter* tamen grave eſt, quia integra ratio, ac veluti tota quantitas deformitatis in eo reperitur; ſicuti videre eſt in peccatis, quæ directè contra Deum committuntur, videlicet DEI odio, infidelitate, blaſphemia, & univerſim, quæ primo præcepto Decalogi repugnant: quidquid enim in DEO oderis, infinitam ejus bonitatem odio habes, & quamcunque ab eo revelatam propoſitionem negâris, infinitam ejus veraci-

tatem

tatem negas. Idem accidit in perjurio aſſertorio, in quo non ſinè grandi irreverentia etiam ad rei minimæ confirmationem in falſum teſtem DEUS adducitur. Idem eſt de ſimonia; idem de *directo*, & *formali* contemptu DEI; Idem de forma Sacramentorum, ſi quid leve ex eſſentialibus verbis omittatur. Et hæc peccata dici ſolent mortalia *ex genere toto*.

Q. 6. *An etiam peccatum luxuriæ admittat materiæ levitatem?* ℞. Negativè cum 47.
Communi. Unde luxuriæ peccatum cum plena advertentia, & libertate, tametſi ſolùm cogitatione commiſſum, ſemper eſt peccatum mortale. Rationem dat Illſung. tr. 2. d. 2. n. 1. Quia ſi in hac materia daretur levitas, maximum generi humano illicium peccandi, conſequenter damnum grande inferretur. Ex quo ſequitur cogitationem obſcœnam, oſculum ob delectationem carnalem habitum, à mortali non excuſari. Indè Alex. VII. ſequentem damnavit propoſitionen. n. 40. *Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſensûs, & pollutionis.*

Q. 7. *An peccatum veniale poſſit aliquando fieri mortale? & viciſſim an veniale aliquando fieri poſſit mortale?* ℞. Affirmativè. 57.

Ità Regin. l. 13. c. 7. S. 4. & 5. cum torrente. Quod tamen non ità intelligendum eſt, quaſi commiſſum peccatum mutari poſſit ſic, ut ex eo, quod jam commiſſum eſt veniale, fieri poſſit mortale, & viciſſim; ſed ſic: quòd peccatum, cœteroquin futurum veniale, ob adjunctas aliquas circumſtantias fiat mortale, & viciſſim. Modi, quibus veniale ità tranſire poteſt in mortale, quinque aſſignantur à Buſenbaum lib. 5. c. 2. d. 3. videlicet *ratione adjuncti finis mortaliter mali*, ùt ſi quis verba otioſa dirigat ad fornicandum. 2. *Ratione finis ultimi*, ùt ſi quis ex nimio affectu in rem aliquam, licèt de ſe levem, in ea ſibi conſtituat finem ultimum: quod tunc fit, cùm illam ità appretiat, ut paratus ſit præceptum graviter obligans transgredi potiùs, quàm illâ privari. 3. *Ratione contemptûs abſoluti, & formalis*, quod tunc fit, quando ideò præceptum violatur, quia ipſi, aut Superiori ſubjici renuis; vel quando ideò obedire non vis, quia præceptum eſt. 4. *Ratione ſcandali*, quando prævidetur levi cæteroquin peccato proximo gravis ruina imminere. 5. Denique *ratione periculi incidendi in mortale*, quando quis citra ſufficientem cautelam, aut neceſſitatem aliquid facit, per quod veniat in mortale, ac proximum periculum peccandi mortaliter. *Proximum* verò *periculum* cenſetur, quod *ordinariè* homines ſimilis conditionis in mortale inducit. Tali periculo etiam ſe exponeret, qui inten-

intentionem haberet omnia venialia committendi, ſeu nullum veniale evitandi, & ideò graviter peccaret. Alii duos adhuc modos aſſignant. Primus eſt, *ratione ordinis* ad plura peccata venialia præcedentia, ex quorum ſuppoſitione completur materia gravis, ſeu ſufficiens ad mortale, ùt ſi commiſſis aliis venialibus furtis ad mortalem quantitatem necdum pertingentibus, fureris talem adhuc quantitatem, quâ videas ſuppleri quantitatem mortalem. Quo caſu illud ultimum furtum, de ſe veniale futurum, ob ordinem ad præcedentia fit mortale, licèt præcedentia naturam venialis peccati non exuant, ſicut infinita etiam venialia eam exuere non poſſunt, & fieri, ſeu conſtituere vel unum mortale. Alter eſt *ratione conſcientiæ erroneæ*, ſi quis peccatum cœteroquin veniale judicet eſſe mortale. Mortale verò fieri poteſt veniale tribus modis 1. *Ob imperfectionem actûs*, ſeu ratione advertentiæ, & deliberationis non plenæ, ùt conſtat ex dictis. 2. *Ob parvitatem materiæ* in peccatis illis, quæ parvitatem hanc admittunt. 3. *Ob erroneam conſcientiam*, quando, quod cœteroquin eſt mortale, erroneè judicatur eſſe veniale.

Q. 8. *An effectus peccati ſit peccatum?* ℞. 76
Effectum malum ex peccato ſequentem nunquam dicendum eſſe peccatum, niſì fuerit prævìſus. Ratio eſt: quia tunc effectus talis *indirectè, & in cauſa* eſt voluntarius. E con-

trà

trà ſi ſit prævifus, & intentus, hoc ſenſu eſt peccatum, quòd *culpabiliter* ſit poſita cauſa, ex qua reipſa ſequatur, & ideò in æſtimatione prudentum illi cauſæ attribuatur. Ratio eſt oppoſita. Quod etiam intelligendum eſt de caſu, quo voluntas reſpectu hujus effectûs, poſtquàm cauſa illicita poſita eſt, retractatur; aut quando non ampliùs eſt poteſtas eum impediendi. Ratio enim eſt eadem: quia cauſa ſupponitur liberè poſita, conſequenter etiam effectus in cauſa prævifus, & intentus. La Croix l. 5. n. 14. & 12.

§. VII.

De Scientia peccatorum quoad ſpeciem, & numerum.

77 Q. 1. *Quæ peccata ſint ejusdem? quæ diverſæ ſpeciei?* ℞. Pro dignoſcenda unitate, vel diverſitate peccatorum ſpecifica duas maximè regulas ſervire. Prima eſt, quando objectum, vel modus tendendi actuum peccaminoſorum eſt notabiliter diverſus, rectè colligi poteſt actus illos habere malitiam ſpecie diverſam; & econtra. Ratio eſt: quia actus omnis vitalis eſt eſſentialis tendentia in objectum, & modus, quo actus in objectum tendit, etiam eſt eſſentialis actui; ergo ſicut omnis actus phyſicè ſpectatus, ſpecificatur ab ob-

jecto,

jecto, & modo tendendi phyſico, ità omnis actus in genere moris ſpecificabitur ab objecto, & modo tendendi in genere moris. Videndum itaque primò: qualia objecta actus reſpiciant, & quomodo in illa tendant? Si objecta, & tendentiæ in ſpecie morali conveniunt, erunt peccata ejusdem ſpeciei; ſi diſconveniunt, erunt diverſæ ſpeciei. Sic plura furta ſunt ejusdem ſpeciei; quia in objecto, & tendentia ſpecificè conveniunt: furtum verò, homicidium, detractio &c. ſunt diverſæ ſpeciei; quia in objecto, & tendentia diſconveniunt. 2. Regula eſt, quando agitur contra leges *formaliter* diverſas, rectè quoque colligi poteſt, actibus peccaminoſis ineſſe malitiam ſpecie diverſam; & è contrà. Ratio eſt: quia malitia actûs ex eſſentia ſua eſt tendentia in legem, contra quam ponitur, & cui difformatur; ergo ubi ſunt leges *formaliter* diverſæ, ſunt difformitates ad legem ſpecie diverſæ; & è contrà. Sic quia leges *non occides*, & *non furaberis*, ſunt *formaliter* diverſæ, etiam difformitates homicidii, & furti ſunt ſpecie diverſæ; & è contra: quia lex Divina: *non occides*, & lex humana: *non occides*, ſunt *tantùm materialiter* diverſæ, difformitates contra has leges non ſunt ſpecie diverſæ. Sed

Q. 2. *Unde dignoſcendum ſit, quòd leges formaliter ſint diverſæ?* ℞. Tunc dici *formaliter* diverſas, quando una affert diverſam ab 78

alia

alia vim obligativam; tunc autem cenſetur afferre diverſam vim obligativam, quando verſatur, vel circa materiam notabiliter diverſam, vel circa eandem quidem materiam, ſed ex diverſis motivis formalibus, vel ſi materia, & etiã motivum ſit idem, ſi aliunde conſtet, quòd legislator velit afferre diverſam vim obligativam. Sic dum præcipitur auditio Miſſæ, & jejunium, leges ſunt *formaliter* diverſæ; quia materia eſt notabiliter diverſa: dum præcipitur jejunium ex motivo temperantiæ, & à Superiore ex motivo obedientiæ, ſunt leges *formaliter* diverſæ; quia eſt diverſum motivum: dum lex præcipit ædificationem propugnaculi viris ſub obligatione gravi, mulieribus ſub pœna levi, lex eſt *formaliter* diverſa; quia intentio legislatoris eſt diverſam afferendi obligationem. Ex quo patet eas leges tantùm eſſe *materialiter* diverſas, ubi materia eſt eadem, motivum idem, intentio legislatoris eadem. Sic leges, quibus præcipitur abſtinentia à carnibus Quatuor Temporibus, in Vigilia, in Quadrageſima, die Veneris, ſi hæc omnia concurrant in Vigilia S. Mathiæ, ſunt tantùm *materialiter* diverſæ; quia materia eſt eadem, idem motivum, eadem legislatoris intentio.

79 Inferes ex dictis 1. Non ſufficere regulam, quam dant aliqui, videlicet, illa peccata, quæ ſunt contra dictamina ſpecie diverſa, eſſe ſpecie diverſa; & è contrà: quia licèt verum ſit

dicta-

dictamen diverſum refundere diverſam malitiam in actum, & è contrà; inquirendum tamen adhuc reſtat, quandonam dictamina ipſa ſint ſpecie diverſa? Bene tamen obſervat La Croix cit. n. 126. Regulam iſtam ſervire ad hoc, ut ſciamus peccata ſic eſſe confitenda, ſicut fuerunt dictamina, cùm peccata comitterentur: talis enim eſt malitia, qualiter cognoſcitur. Similiter non ſufficit regula illa, quam dant alii, videlicet, tunc peccata eſſe ſpecie diverſa, cùm ſpecie diverſa eſt cauſa prohibendi; & è contrà. Ratio eſt ſimilis: nam inquirendum ſimiliter reſtat, quando, & unde colligi debeat hæc diverſa, vel non diverſa cauſa, vel ratio prohibendi?

Inferes 2. Pariter non ſufficere regulam alteram, quam multi aſſignant: tunc videli- 80
cet peccata eſſe ſpecie diverſa, quando opponuntur diverſis ſpecie virtutibus; & è contrà. Ratio eſt: quia licèt hinc inferre poſſimus *ordinariè* ſpecificam ſeu diverſitatem, ſeu identitatem; non poſſumus tamen ſemper: quia prodigalitas, & avaritia ſunt peccata ſpecie diverſa, & tamen eidem virtuti liberalitatis opponuntur. Unde ſpecifica diverſitas neceſſariò ex dictis duabus regulis dignoſci debet.

Inferes 3. Minùs ſufficere regulam illam, 81
quâ remittimur ad judicium prudentûm; quia illi ipſi debent judicium prudens formare ex adductis binis regulis, quòd peccata ſpecie di-

diſtinguantur, vel non; neque debent iterum ad alios prudentes remittere, nè procedatur in infinitum.

82 Q. 3. *An peccatum commiſſionis ſpecie diſtinguatur a peccato omiſſionis?* ℞. Aliquando nè numero quidem diſtingui. La Croix l. 5. n. 144. Sic ſtudium, propter quod die feſto ſcienter omittitur auditio Miſſæ, eſt peccatum commiſſionis, omiſſio reſtitutionis eſt peccatum omiſſionis; & tamen ſtudium nè numero quidem diſtinguitur ab omiſſione Sacri, nec furtum ab omiſſione reſtitutionis. Ratio eſt: quia tale ſtudium non habet aliam malitiam, quàm habeat omiſſio Sacri; nec omiſſio reſtitutionis habet aliam malitiam, quàm furtum; eſt enim ſolùm continuatio furti. Unde opus non eſt in Confeſſione explicare propter quid ſit omiſſum Sacrum, neque quòd fur tempore aliquo rem furto ſublatam non reſtituerit, niſì ex dilatione reſtitutionis alia mala conſecuta fuiſſent. Aliquando autem omnino ſpecie diſtinguuntur, tunc videlicet, quando per illa importatur diverſa, & notabiliter major diſſormitas, ac malitia, ex datis regulis deſumenda. Sic odium, & omiſſio amoris DEI, dum urget amoris præceptum; ſic etiam hæreſis, & ignorantia articuli credendi, ſpecie diſtinguuntur.

83 Pro peccati omiſſionis notitia obſerva 1. hoc peccatum tunc ſolùm committi, quando præceptum ad actum, qui omittitur, ponendum urget.

Digitized by Google

urget. Ratio eſt: quia omiſſio nihil aliud eſt, quàm privatio actûs debiti tempore, à lege deſignato. Malitia verò tunc incurritur, quando vel *directè* eligitur omiſſio liberè eam volendo, vel quando eligitur *indirectè*, cauſam ponendo, quâ omiſſio conſequatur. Unde obſerva 2. tales cauſas ſemper eſſe peccatum, ſive cauſæ iſtæ in libero propoſito omiſſionis, ſive in actione incompoſſibili cum re præcepta conſiſtant. Quanquam meliùs dicatur, nunquam ſolum propoſitum eſſe cauſam, ſed rationem cauſæ etiam inſimul habere illas actiones, quæ elicito propoſito per ſe primò eliguntur, & incompoſſibiles ſunt cum re præcepta. Ratio eſt: quia non vi ſolius propoſiti omittitur v. g. Sacrum, ſed etiam vi aliarum actionum incompoſſibilium cum re præcepta.

Q. 4. *An peccata cordis, oris, & operis ſpecie diſtinguantur?* Antequam reſpondeam, noto cum Laym. l. 1. tr. 3. c. 4. n. 7. Medina 1. 2. q. 72. a. 7. Azor tom. 1. l. 4. c. 4. q. 1. Quædam peccata cordis cogitatione, vel affectione conſummari, & compleri, Talia ſunt hæreſis, invidia, odium DEI, &c. Quædam verò compleri oris ſermone, qualia ſunt detractio, contumelia &c. Quædam demum opere, & actu externo perfici, ùt furtum, homicidium. Primæ itaque claſſis peccata inchoantur, atque complentur cogitatione, & affectione; ſecundæ claſſis inchoantur & af- 84

ſectione, & complentur oris ſermone; tertiæ claſſis inchoantur cogitatione, incrementum ſæpe, licèt non ſemper, capiunt oris ſermone, perficiuntur actu externo, ſeu opere. His prænotatis, Reſpondeo 1. peccata, quæ complentur corde, ſeu cogitatione, & affectione, differunt ſpecie à peccatis, quæ complentur ſermone, vel opere. Peccata item, quæ complentur oris ſermone, differunt ſpecie à peccatis, quæ complentur opere. Ratio eſt ex datis regulis; quia ſpecie diverſam habent tendentiam, *diversisque formaliter* legibus adverſantur: alia enim eſt ſpecie tendentia, quâ tendit hæreſis in objectum proprium, alia, quâ tendit detractio, vel homicidium, *alia* etiam *formaliter* leges ſunt, quibus iſta prohibentur. ℞. 2. Peccata cordis, ſi conſiderentur, ùt *origo*, *principium*, & *diſpoſitio* ad peccata oris, non differunt ab his ſpecie. Idem dicendum de peccatis cordis, & oris, prout ſunt *origo*, *principium*, & *diſpoſitio* ad peccata operis. Ratio eſt: quia hæc peccata ad invicem ſolùm conſiderantur *ùt perfectum*, & *imperfectum* in eadem ſpecie; cùm non dicant ſpecie diverſam tendentiam in objectum; nec adverſentur legibus formaliter ſpecie diverſis. Licèt autem peccata oris, uti & peccata operis propriè committantur in corde, ſeu voluntate; ore autem, & opere ſolùm perficiantur, ac compleantur: in Confeſſione tamen non ſufficit, ſi dicas: peccavi cogitatione v. g. deſiderando, vel delectando me hoc objecto malo, ſed explicandus eſt actus

quo-

quoque externus. Ratio eſt: quia non ſolùm cauſa, ſed etiam effectus eſt explicandus.

Q. 5. *Quandonam peccata numero ſint di-* 85
ſtincta? ℞. 1. peccatum non ideò præcisè multiplicari numero, quia eſt contra plura numero diverſa præcepta. Ità communis contra Nav. Rodriq. Arriag. Ratio eſt: quia poteſt fieri, ut *ſub eadem ratione formali* de eodem objecto poſita ſint plura præcepta. Patet in præceptis jejunii, quorum plura unum jejunium præcipere poſſunt, ùt, ſi jejunandum ſit in Vigilia incidente in Quatuor Tempora Quadrageſimæ. ℞. 2. Numericam peccatorum diſtinctionem certè colligi 1. *ex objectis totalibus*, non phyſicè tantùm, ſed etiam *moraliter* diverſis, circa quæ actus ſucceſſivè verſantur. 2. *Ex morali actuum interruptione.* Ità communis.

Q. 6. *An actus malus phyſicè unus, ten-* 86
dens in plura numero objecta, ſit moraliter plura numero peccata in Confeſſione explicanda, prout actus diſtinctè, vel confuſè in ea objecta tendit? ℞. Probabilem quidem eſſe negativam, utpote Suarii, Buſenbaum, Bonac. aliorúmque gravium Authorum authoritati innixam; Affirmativam tamen videri probabiliorem. Ità Diana p. 3. tr. 5. R. 164. Rhodes. Vaſquez. Haunold. &c. Ratio eſt: quia actus, tendens in objecta ſpecie diverſa, continet ſpecie diverſam malitiã in Confeſſione explicandã; ergo

ergo etiã actus, tendens in plura numero objecta continet malitiam numero diverſam. Deinde actus, quo occiduntur tres homines, vel quo tribus graviter detrahitur, lædit tria jura, & comparatus ad primum ideò eſt peccatum: ergo etiam comparatus ad ſecundum, & tertium erit peccatum. Non idem cum eo, quo læditur jus primi; ergo diverſum: non ſpecie; ergo numero. Accedit, quòd, ſi talis actus non haberet plures numericas malitias, opus non eſſet in Confeſſione dicere: *detraxi pluribus*, Vel: *occidi uno ictu plures*; ſed ſufficeret dicere: *occidi*, *detraxi ſemel*: ſicut, cùm fur uno actu furatus eſt uni 20. aureos, dicere ſufficit: *commiſi ſemel furtum mortale*; nec opus eſt explicare, quot ducati furto hoc ſublati ſint. Cùm enim pluralitas objectorum nec ſpeciem, nec numerum mutet, juxta Sententiæ oppoſitæ Patronos, nulla erit obligatio hanc pluralitatem explicandi. Hinc

37 Colliges 1. Si fur furetur uno actu ducatos viginti, ſciens eos ad tres Dominos pertinere, eum committere uno actu tria numero peccata. Idem eſt, ſi quis uno actu oderit tres homines. Idem, ſi quis uno actu eidem perſonæ vellet rapere diverſa Dominia cum jure, & obligationibus diverſis à Domino poſſeſſa. Idem, ſiquis detrahat uno actu in diverſis materiis. Idem, ſi quis intendat per tria feſta non audire Sacrum. Idem, ſi quis per tres jejunii dies intendat non jejunare. Idem, ſi obli-

obligatus ad breviarium id per tres dies intendat non recitare. Ratio eſt; quia ſunt plura numero objecta, ſibi non ſubordinata.

Colliges 2. Siquis furetur, aut detrahat communitati, unum numero peccatum committere; quia communitas eſt una numero perſona ficta, conſequenter unum numero objectum. 88

Q. 7. *Unde dignoſcendum, quòd actus phyſicè plures inſimul conſtituant in genere moris unum numero peccatum?* ℞. Quando inter ſe ità uniuntur, ut in æſtimatione prudentûm cenſeantur *una actio in genere moris*. Pro hoc ipſo autem dignoſcendo videndum, an actus illi dirigantur, & ſpectent ad eandem conſummationem peccati, & ſic intendantur, ut uni ſibi principali ſubordinentur. Sic emptio, præparatio inſtrumentorum ad arcas, domum &c. perfringenda, conſilia cum cooperatoribus, iter initum, admotio ſcalarum, & plures actus ſimiles ad furandum directi, unum numero furti peccatum conſtituunt. E contrà ſi plures actus dirigantur ad diverſos fines, erunt diverſa peccata. Sic ſi turpes cogitationes tantùm dirigantur ad oſcula, non ad copulam, copula tamen libidine aucta conſequatur, erunt diverſa peccata. Idem eſt, ſi actus aliqui dirigantur quidem ad eundem malum finem; *ex ſe* tamen ſint completi, nec ſpectent ad finis executionem. Ac ideò qui ante copulam pollutionem committit, diverſa peccata committit; quia pollutio, licèt direc- 89

ĉta ſuiſſet ad copulam, *ex ſe* non conducit ad copulam; imò potiùs fini copulæ, qui eſt generatio, repugnat. Hinc etiam, qui in mortali conſtitutus, adminiſtrat plura numero Sacramenta v. g. audiendo in mortali plurium Confeſſiones, plura numero peccata committit; quia unius Sacramenti adminiſtratio *ex ſe* nequaquam alteri ſubordinatur.

90 Q. 8. *Unde dignoſcendum, quòd actus phyſicè unus, moraliter ſit interruptus, ac per conſequens numero diverſus?* ℟. Actum tunc *moraliter* interrumpi, quando voluntas nec *formaliter*, nec *virtualiter*, nec *interpretativè* perſeverat: Quod fit vel *per contrariam voluntatem, & propoſitum;* vel *per ceſſationem* ab actu *voluntariam, & liberam*, vel *per ceſſationem involuntariam, & naturalem*, ſive illa fiat per ſomnum, ſive per diſtractionem ad alia incompoſſibilia: per ſomnum quidem; cùm enim in hoc ceſſet uſus rationis, ceſſat etiam actio libera, & moralis: per diſtractionem verò; quia per illam prior cogitatio fit involuntaria, ideóque, ſi ad eam redeatur, denuò fit voluntaria; & *moraliter* multiplicatur. Buſenb. l.5.c.1.dub.3.a.2.

91 Obſervandum autem hìc 1. peccata, quæ *animô* perficiuntur, ùt hæreſis, odium DEI, ac proximi &c. *ſola interruptione* multiplicantur. Suar. p. 3. tr. 4. Diſp. 22.S.5. Ubi etiam notat plerumque horum peccatorum numerum iniri non poſſe, ac ideò ſatis eſſe, in Confeſſione moram temporis explicare. v. g. integro

tegro anno in hæreſi, vel odio DEI perſtiti. Peccata verò, quæ *opere externo* perficiuntur, ùt homicidium, furtum, &c. non multiplicari per repetitionem propoſiti circa idem objectum, quamdiu efficacia primi propoſiti in aliquo effectu perſeverat. Ità idem Suarez ibidem. Sic qui animo furandi domo egreditur, unum numero peccatum internum committit, etſi in via malum furandi propoſitum, quod *moraliter* nunquam interruptum eſt, actualiter aliquoties repetat. Sic etiam qui eodem commotionis impetu alterum ſæpiùs percuſſit, vel repetitâ contumeliâ affecit, ſemel tantùm peccavit. Oppoſitum eſt, ſi per intervalla verberavit, vel convitiatus eſt, videlicet jàm ceſſans, jam reſumens illas actiones.

Obſervandum præterea, ut actus multiplicari cenſeantur, *per retractationem* ſeu *formalem*, ſeu *virtualem*, eam debere eſſe *efficacem*. Ratio eſt: quia, ſi voluntas inefficaciter tantùm retractetur, actus non ceſſat, ſed perdurat; ergo nec interrumpitur; ergo nec actus multiplicantur. Dum è contrà voluntas *efficaciter* eſt retractata, & iterum reſumitur, ſemper actus moraliter multiplicantur, ùt tenet communis contra pauculos. Ratio eſt oppoſita: quia tunc prior actus voluntatis ceſſat, nec perſeverat, cùm perfectè compleatur, & terminetur; licèt hoc non ſemper ſit diſcernibile. 92

Obſervandum 3. Quandonam ſomni, vel diſtra- 93

diſtractionis duratio cenſenda ſit **actum interrumpere**, colligendum eſſe ex judicio prudentûm; quo judicatur, eam eſſe tantam, ut actus ante ſomnum, vel diſtractionem cum conſequente *moraliter* non identificetur. Quod certum videtur, ſi duratio hæc ſit valde longa; ſecus verò, ſi ſit valde brevis.

§. VIII.

De Scientia Circumſtantiarum ſpeciem mutantium, & aggravantium.

94 Q. 1. *Quæ dicantur circumſtantiæ ſpeciem mutantes? Quæ aggravantes?* ℞. Nomine ***circumſtantiarum, ſpeciem mutantium,*** intelligi talia accidentia, quæ ſupervenientia actui præcisè ſpectato ***ſecundùm objectum principale*** refundunt in ipſum malitiam ſpecie diverſam ab ea, quam actus contrahit ex prædicto objecto. Sic actui, quo furaris rem alienam, quæ hujus actus eſt objectum principale, ſupervenit circumſtantia loci ſacri, ſcandali, intentionis peſſimæ, ob quam furaris. Quæ verò circumſtantiæ ſpecificam malitiam refundant in actum, ordinariè quidem colligi poteſt ex oppoſitione, quâ vi illarum actus idem diverſis ſpecie virtutibus opponitur; ſi tamen hæc colligi nequeat, ùt fit, quando plures malitiæ eidem virtuti opponuntur, obſervanda eſt tendentia, an ſit ***moraliter ſpectata*** ſpecie

ſpecie diverſa; itèm leges, quibus actus opponitur, an ſint *formaliter* diverſæ, ùt dictum §. 6. Addo hìc, circumſtantias, *ſpeciem mutantes*, non ideò vocari *mutantes*, quòd tollant ſpeciem actûs peccaminoſi, quam habet *ex objecto ſuo principali*; locus enim, vel ſcandalum furto conjunctum, non tollit in furto ſpeciem furti, ſed ideò dicuntur *mutantes*, quòd per ſuperadditam novam ſpeciem actum immutent, & diverſum reddant ab eo, qui fuiſſet circumſtantiis his abſentibus.

℞ 2. Nomine *circumſtantiarum aggravantium* intrà eandem ſpeciem (quæ etiam *purè aggravantes* dicuntur in diſtinctionem à ſpeciem mutantibus, quæ quidem etiam aggravant peccatum, ſed *non purè*, id eſt, non addendo augmentum ſolùm malitiæ ejuſdem ſpeciei, ſed augmentum ſpeciei diverſæ) intelliguntur talia accidentia, quorum conjunctio facit, ut actus quidem ſit deterior, quàm eſſet ſinè illa; illa deterioritas tamen, majórque malitia non differt ſpecie ab ea, quam haberet actus ſinè ea. Talis circumſtantia eſt, ſi quantitatem majorem furto auferas, quàm præcisè ad mortale ſufficiat; quantitas enim excedens non addit novam ſpeciem furto, cùm actum non ſpecificet, nisì in ratione furti, facit tamen actum deteriorem, quàm eſſet, ſi ablata fuiſſet quantitas, præcisè ad mortale ſufficiens. Porrò cùm actus tali circumſtantia deteriorari poſſit *valde notabiliter*, ùt ſi præter quantitatem præcisè ad mortale ſuffi- 95

cientem fureris 1000. flor. vel *non notabiliter*, ùt ſi præter illam fureris aliquot groſſos, circumſtantia *aggravans* bene dividitur in *notabiliter*, & non *notabiliter aggravantem.* Quo pacto pariter dividi poteſt circumſtantia *minuens*, ſeu quæ facit, ut peccatum minorem in eadem ſpecie malitiam habeat, quàm hac circumſtantia abſente haberet.

96. Q. 2. *Quænam ſint illæ circumſtantiæ, quæ ſpeciem mutare, vel non mutare poſſunt?* ℞. Has paſſim à Moraliſtis ſtringi ſequente verſu.

Quis? Quid? Ubi? Quibus auxiliis? Cur? Quomodo? Quando? De his.

97. Q. 3. *Quomodo circumſtantia* Quis *mutet, vel non mutet ſpeciem?* ℞. Circumſtantia *Quis* importat perſonam peccantem, quæ ſi voto, juramento, matrimonij, vel ſponſalium vinculo ligata, vel ſanguine juncta, vel ex officio, aut ſpeciali aliqua lege ad aliquid agendum, vel omittendum obligata ſit, & peccatum aliunde vetitum committat, addit peccato eidem novam ſpecie malitiam. Ex eo tamen non additur, quòd votum, aut Juramentum circa eandem rem ſit renovatum, neque ex eo, quòd ſit ſolenne, ùt docet Sanch. de Matrim. l. 7. D. 27. n. 27. ex communi. Similiter nova ſpecie malitia non additur eò, quòd perſona ſit in Novitiatu, aut minoribus Ordinibus, aut dignitate conſtituta, niſì fortè ſcandalū accedat. Ità idem Sanchez. n. 23. Præterea non additur nova malitia eò, quòd perſona virgo ſit, cum qua pec-

peccatur, aut quòd fidelis peccet cum infideli; niſi forte Virgini inferatur violentia, dolus, aut alia injuſtitia in finem deflorationis. Suar. de Pœnit. D. 22. S 4. n. 6. Azor. p. 3. l. 3. c. 29. q. 5. Demum nova malitia non additur, quòd perſona peccans peccet cum ignorantia. Stoz l. 1. p. 1. q. 1. a. 6. §. 3. n. 51. Neque quòd peccet ex inveterata conſuetudine. Lugo de Pœnit. Diſp. 16. n. 201. Ex dictis

Colliges 1. Novam ſpecie malitiam addi, ſi 98.
conſanguineus peccet cum conſanguinea, affinis cũ affine. Peccantes tamen in primo gradu conſanguinitatis ſpecie diverſam malitiam non contrahunt à malitia eorum, qui peccant in alijs gradibus conſtituti. Stoz. cit. loco cit. Licèt peccata conſanguineorum, à peccatis non conſanguineorum, & affinium ſpecie diſtinguantur, ùt docet Angelicus 2. 2. q. 164. a. 9. in O ubi etiam docet peccatum cum conſanguineo, & peccatum cum affine ſpecie non differre. Rationem dat, quia etiam perſona affinis conjungitur alicui propter perſonam conſanguinitate conjunctam. Diverſa itèm ſpecies eſt, ſi baptizans cum perſona baptizata, aut parentibus baptizati; itèm ſi perſona baptizata cum patrino, vel matrina ſua; itèm parentes cum patrino, vel matrina carnaliter commiſceantur. Idem eſt de Confirmatione. Item de ſponſo, vel ſponſa, ſi contra fidem ſponſalium fornicentur cum alijs.

Col-

Digitized by Google

99 Colliges 2. Si votum firmetur juramento. duplicem malitiam addi, videlicet, contra fidem DEO datam, & contra obligationem DEum non adducendi in falſum teſtem. Sanch. cit. n. 16. Idem eſt, ſi voto obedientiæ Religioſæ accedat præceptum Superioris volentis obligare ſub mortali: nam & hìc peccatur dupliciter, contra votum, & obedientiam ſuperiori debitam. Lugo de Pœnit. D. 16. S. 5. §. 2. n. 257. Idem ſi Matrimonij vinculo accedat votum, & juramentum. Quo caſu fornicationi ſimplici triplex malitia additur, imò ſi ligatus cum ligato peccet, accedit inſuper malitia contra juſtitiam, & quidem numero duplex.

100 Colliges 3. Conſtitutũ in officio, ſeu munere publico v. g. Prælatũ, Parochũ, Gubernatorẽ aut publicum Magiſtratum, ad quod vi officij, & charitatis lege tenetur, ſubditis, indigentibus opem ferre negligat, non ſolùm contra miſericordiam, ſed etiam iuſtitiam delinquere Laym. l. 1. tr. 2. c. 9. n. 1.

102 Q. 4. *Quomodo circumſtantia* Quid *mutet, vel non mutet ſpeciem?* ℞. Per hanc Circumſtantiam. Laym. cit. n. 2. intelligit quantitatem materiæ, ſive objecti, circa quod actio verſatur. Stoz. verò cit. n. 54. per illam tria ſignificari docet, *rem concupitam*, *perſonam*, ad quam actio terminatur, & *effectum*, ex peccato *ſecutum*. Circumſtantia *rei* addit novam ſpeciem, ſi res ſit ſacra, qualia ſunt Sacramenta, vaſa, veſtes ſacræ, itèm Sacramentalia,

Digitized by Google

lia, ùt aqua benedicta &c. Itèm quæ ſignificant ſacra, ùt verba Sacræ Scripturæ; vel repræſentant ſacra, ùt imagines Chriſti, & Sanctorum. Circumſtantia *perſona* verò ſpeciem novam addit, ſi qualitas illius ſpectet ad ſingularem, & ſpecie diſtinctam virtutem. Circumſtantia *effectûs* demum addit novam ſpeciem, quando actus, de ſe peccaminoſus, cauſa eſt effectûs peccaminoſi ſpecie diverſi. Quomodo autem effectus peccaminoſi ſint, dictum eſt §. 6. Q. 8. Econtrà ſi res, perſonæ, effectus ſic qualificati non ſint, ſpecies nova peccato non ſuperadditur. Hinc

Colliges 1. Furtum hoſtiæ, calicis &c. 102 abuſum Sacræ Scripturæ, imaginis Sacræ ad ſuperſtitiones, furto, & ſuperſtitioni ſacrilegij malitiam addere. Bonac. de præcept. D. 3. q. 6. p. un. n. 4. & 5. Regin. l. 19. c. 4. n. 57. Ratio eſt: quia res, circa quam furtum, & ſuperſtitio verſantur, res ſunt ſacræ.

Colliges 2. Occiſionem Clerici, & occiſio- 103 nem Parentis ſpeciem quoque Sacrilegij, & parricidij continere. Bonac. de Pœnit. D. 5. q. 5. S. 2. p. 2. §. 3. n. 15. Ratio eſt: quia qualitas perſonarum, ad quas actio occiſiva terminatur, ſpectat ad ſpecialem virtutem Religionis, & reverentiæ ſanguinis.

Colliges 3. Homicidium quoque, blaſ- 104 phemiam, fornicationem ex ebrietate ſecuta, cùm præviſa ſunt, novas ſimiliter ſpecies ebrietati ſuperaddere. La Croix. l. 5. n. 41. & 42. Ratio eſt: quia ſunt effectus ex peccato ebrietatis conſecuti.

Q. 5.

105 Q. 5. *Quomodo circumſtantia* Ubi *mutet, vel non mutet ſpeciem?* ℞. Hac circumſtantia intelligi locum, in quo peccatum committitur. Duplex autem locus novam ſpecie malitiam in actũ refundit, *ſacer* videlicet, & *publicus*. *Sacer* tunc refundit, quando opera quædam, reverentiæ illius oppoſita, & ab Eccleſia ſpecialiter prohibita, in eo exercentur; & talia opera refundunt in actum malitiam Sacrilegii. *Publicus* refundit, quando peccator in publico, velut ovis morbida ovem, proximum inficit, & ad ſimile peccatum inducit; quæ malitia eſt ſcandali.

106 Hinc colliges rem etiam non ſacram, quæ cuſtodiæ loci ſacri tradita eſt, vel per modum pignoris, depoſiti, mutui, in ejus poteſtate locata, furto auferre; ſanguinem, aut ſemen humanum *culpabiliter*, & *injuriosè* effundere, libertatem, & immunitatem Eccleſiæ lædere, proceſſus iniquos judiciorum Sæcularium, mercatus &c. in loco ſacro inſtituere, furto, & ſanguinis effuſioni, injuſtæ læſioni, injuſto proceſſui &c. Sacrilegij malitiam ſuperaddere. Regin. l. 14. c. 6. n. 42. Laym. l. 5. c. 5. n. 7. & l. 4. tr. 9. c. 3. n. 14. Ratio eſt, quia hæ actiones ob loci reverentiam ſpecialiter ab Eccleſia ſunt prohibitæ. Porrò, ut effuſio & ſanguinis ſeminis humani malitiam novam in actum effundant, debet effuſio ſanguinis eſſe enormis, & ex injurioſa, ac gravi percuſſione, ac vulnere; ſeminis verò humani effuſio debet eſſe

eſſe notoria, & illicita. Suarez to. 1. de Rel. l. 3. c. 1. n. 4. Sanchez de Matr. l. 9. D. 15. n. 12. Unde effuſio ſanguinis ex percuſſione, aut vulnere levi, item, quod probabilius cenſet Stoz ſuprà cit. n. 57. pollutio occulta; item oſcula, tactus, loquelæ turpes (niſi cum magna irreverentia, v. g. ante altare, fierent) malitiam talem non addunt. Ratio eſt oppoſita. Addo hìc: ut ſanguinis, vel ſeminis effuſio, proceſſus iudicialis, mercatus cenſeantur ſacrilega, non ſatis eſſe, ut fiant in Sacriſtia, campanili, turri, tecto, atrio, porticu Eccleſiæ (quod pro aſylo ſeu rerum, ſeu perſonarum ſufficit) ſed ut fiant in ipſa Eccleſia, aut capellis, adhærentibus cum Eccleſia, conſecratis, aut in cœmeterio Divinis officijs celebrandis, aut fidelium ſepulturæ deſtinato. Sanch. de Matr. D. 15. à n. 23. l. 7. c. 2. §. 1. n. 12. Dicaſtillo tr. 8. D. 8. c. 3. qu. 5. n. 667.

Q. 6. *Quomodo circumſtantia*, QUIBUS 107
AUXILIIS, *mutet*, *aut non mutet ſpeciem*? ℞. nomine hujus circumſtantiæ venire tum *inſtrumenta*, quorum adminiculo homo ad peccandum utitur, tum *homines*, qui juſſu, vel conſilio ad criminis ſocietatem ſolicitantur. Laym. ſuprà cit. n. 3. Quod inſtrumenta attinet, nova ſpecies additur, ſi in uſu talium inſtrumentorum adſit ſpecialis prohibitio, obligans ſub mortali, vel in applicatione talium mediorum appareat ſpecialis aliqua indecentia, aut malitia contra aliam ſpecialem virtutem

tem. Dicaſt. cit. l. cit. Quod verò homines ſolicitatos, & ad peccatum inductos, concernit, ſcandalo accedere poteſt illa ſpecies, quam ſcandalum annexam habet. Tamb. l. 2. c. 1. §. 10. n. 70.

108 Hinc colliges 1. Eum, qui Sacramento Pœnitentiæ, vel Evchariſtiæ, vel re alia ſacra, velut medio utitur ad furtum, ad ſuperſtitiones, committere præter peccatum furti etiam Sacrilegium. Ratio eſt, quia præterquàm, quòd auferat rem alienam, invito Domino, & implicitum pactum habeat cum diabolo, graviter quoque eſt irreverens in rem Sacram.

109 Colliges 2. Eum, qui filium inducit ad occidendum Patrem, ſcandalo homicidij adjungere etiam ſcandalum parricidij. Ratio eſt: quia tale peccatum duplicem hanc malitiam in ſe complectitur. Unde, quotquot malitiarum eſt peccatum, ad quod ſcandalizans inducit, tot etiam malitiarum ſe facit reum; ſuppoſitâ tamen ſemper earum requiſita cognitione, & advertentiâ.

110 Q. 7. *Quomodo circumſtantia* CUR *mutet, aut non mutet ſpeciem?* ℞. Hujus circumſtantiæ nomine ſignificat *finem extrinſecum*, ad quem peccans opus cum fine ſuo intrinſeco dirigit. Proinde ſi finis intrinſecus de ſe malus ſit, & inſuper ab operante ad finem extrinſecum, ſpecie diverſam malitiam, vel malitias mortales continentem (idem applica numericæ diſtinctioni ex finibus extrinſecis nu-

mero

mero diſtinctis) ordinetur, tot malitiæ mortales ſpecie diverſæ actui peccaminoſo addentur, quot in fine extrinſeco reperiuntur, ſuppoſito, quòd prævîſæ ſint. Laym. l. 1. tr. 2. c. 9. n. 8. Tamb. l. 2. v. 1. §. 11. n. 74. Suar. tom. 4. D. 22. S. 4. n. 8. Imò ſi plures mali fines operi præfigantur, tot malitiæ in actum refundentur, quot inſunt his finibus. E contrà, ſi finis extrinſecus non ſit malus, aut ſit tantùm venialiter malus, ſpecie diversa malitia mortalis non addetur; neque, ſi finis bonus ſit, actum ex objecto malum bonum reddit. Ita Laym. cit. n. 7.

Hinc colliges, eum, qui furatur ad fornicandum, ſuperaddere furto malitiam fornicationis, & injuſtitiæ; qui pejerat ad patrem occidendum, ſuperaddere perjurio malitias homicidij, & parricidij; qui denique omnes hos fines furto, v. g. præfigeret, omnes eorundem malitias furto ſuperadderet. E contra, ſi fureris, ut te indifferenter exhilares, vel etiam, ut egeſtate preſſo ſubvenias, primo fine nulla malitia, altero nulla bonitas in actum refundetur. 111

Q. 8. *Quomodo Circumſtantia* Quomodo *mutet, aut non mutet ſpeciem?* R. hac voce indicari *modum peccaminoſæ actionis*, qui tunc novam ſpeciem addit, cùm ſpeciali virtuti opponitur. Et è contrà. Tales modi ſunt violentia, & vis, quâ res aliena aufertur, aut Virgo opprimitur. Item fraus, & dolus, quo 112

Digitized by Google

ad fornicandum inducitur; itèm contemptus *formalis*, quo peccatum à contemptu diverſum committitur; itèm crudelitas, quâ homo occiſus, multis adhuc vulneribus confoditur, membratim diſcerpitur &c. Suar. Tom. 4. D. 22. Sect. 4. n. 13. Laym. cit. n. 8. Lugo. Bonac. &c. Reliqui modi v. g. intenſio actûs major, rarò ſpeciem mutant, ſed ordinariè tantùm augent. Stoz. l. 1. p. 1. q. 1. a. 6. §. 3. n. 72. Regin. l. 14. c. 8. n. 50. Unde Suarez cit. docet, odium, ex quo alterum occidis, quantumcunque grave ſit, & intenſum (idem eſt de amore, ex quo fornicaris) ex hoc capite nullam novæ malitiæ ſpeciem contrahere.

113 Q. 9. *Quomodo circumſtantia* QUANDO *mutet, vel non mutet ſpeciem*? ℞. Hac circumſtantiâ importari *tempus*, quo peccatum committitur, additque peccato novam ſpeciem, quando Divino cultui notabilis irreverencia irrogatur, ùt ſi ludi publici, præſertim obſcœni, Sacro die Veneris exhibeantur. Lugo D. 16. S. 12. n. 524. Tamb. Meth. Conf. l. 2. c. 7. §. 5. n. 40. Itèm ſi talia exerceantur die feſto, Dominico, Sabbatho, S. Nativitate Domini, Paſchate, &c. cum directa intentione ſacrum tempus inhonorandi. Laym. cit. n. 9. Itèm ſi ſpecialis lex ponatur, ſimilia ſacro tempore non exercendi. Stoz. cit. n. 74. Cæteroquin nova ſpecies non ſuperadditur. Hinc Sanchez. de Matr. l. 9. D. 12. n. 5. cenſet, Conjuges nę venialiter quidem pec-

peccare, ſi actum conjugalem maximis etiam feſtivitatibus, & D. 13. n. 3. die, quo ſuſcipitur Eucharistia, exerceant, licèt n. 4. benè addat, convenientiſſimum eſſe tali die abſtinere.

Q. 10. *An circumſtantiæ omnes tum ſpeciem mutantes, tum aggravantes, & minuentes, ſint in Confeſſione manifeſtandæ?* ℟. *Speciem mutantes* omnino neceſſariò eſſe aperiendas. Ità clarè Trid. ſeſſ. 14. c. 5. de S. Pœnit. Sacram. ubi ſic: *colligitur prætereà, etiam eas circumſtantias in Confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant, quòd ſine illis peccata ipſa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec judicibus innoteſcant &c.* Idem eſt *de circumſtantijs aggravantibus, vel minuentibus* intra eandem ſpeciē, quæ ex veniali faciunt mortale, aut ex mortali veniale. Gob. tr. 6. n. 372. Sanchez de Matr. l. 7. D. 34. n. 15. Sic explicandum eſt, an exceſſus in veſpertina collatiuncula fuerit gravis, vel levis; nec dicere ſufficit, ſi uſque ad ſatietatem exceſſiſti: *exceſſi aliquantum die jejunij in collatiuncula veſpertina.* Ratio eſt: quia venialia ùt venialia, mortalia ùt mortalia ſunt exponenda. Cæterùm probabilior videtur ſententia, quam ſequitur D. Thomas n. 4. diſt. 16. q. 3. a. 2. & diſt. 22. a. 2. Vaſquez. Diana. Lugo, & alij præſtantes Doctores, circumſtantias intra eandem ſpeciem *aggravantes per ſe loquendo* non neceſſariò eſſe explicandas. Ratio fundamentalis eſt, quòd Trid. cit. accuratiſſimè agens de materia neceſſaria Confeſſionis, 114

nis, harum circumſtantiarum non meminerit. Nec obſtant S. Concilij verba: *quòd ſinè illis peccata ipſa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec judicibus innoteſcant*: tacitis namque talibus circumſtantijs integrè exponuntur peccata, & innoteſcunt *quoad ſubſtantiam*, ut Judex ſubſtantiale judicium ferre poſſit. Conſulendum tamen eſt, ut pro *accidentali* meliore notitia, & *accidentaliter* meliore judicio ferendo inſimul explicentur, quantum fieri poteſt, citra anxietatem ſcrupuloſam. Dixi autem: *per ſe loquendo*; nam, ſi Confeſſarius de ijs interroget, tenetur eas pœnitens aperire. Ita cit. Gob. n. 379. Lugo diſp. 16. n. 123. Cujus ratio eſt; quia Confeſſarius habet jus in plura inquirendi, quàm ſimpliciter ad abſolutionem ſint neceſſaria, ut judicare poſſit, quam pœnitentiam injungere, quod remedium præſcribere oporteat. Præterea Confeſſarius poteſt, & tenetur advertere, an pœnitens ſit ritè diſpoſitus, in quem finem pœnitens interroganti Confeſſario reſpondere tenetur.

Hinc colliges, nec conſuetudinem peccan-
115 di, nec durationem, intenſionémque, nec materiam in furto, quæ quantitatem, ad mortale ſufficientem, excedit, *per ſe loquendo* eſſe aperiendam. Unde qui 100. aureos furatus eſt, ſatisfacit dicendo: furatus ſum materiam, ad mortale ſufficientem. Gob. cit. n. 378. Lugo, Vasquez, Dicaſtillo &c.

Hæc

Hæc de peccatorum circumſtantijs. Quoniam verò admodùm difficile eſt, ſingulas ſpecies contra præcepta ſingula fidei, ſpei, charitatis, Decalogi, Eccleſiæ, Sacramenta, itèm peccatorum capitalium ſpecies, rectè diſtinguere, addo ex La Croix. l. 6. p. 1. à n. 979. ùt fieri poteſt, breviſſimè eorundem catalogum.

§. IX.

Catalogus peccatorum ſpecie diverſas malitias continentium.

CONTRA FIDEM. *Errores*, vel *dubia* 116
circa fidem, in quacunque materia ſint, ſunt ejuſdem ſpeciei. Ratio eſt: quia eorum omnium malitia in hoc ſita eſt, quòd non ſatìs tribuatur authoritati DEI. *Ignorantia* è contra culpabilis, *error in fide*, & *poſitiva hareſis* ſunt diverſæ ſpeciei. Ratio eſt: quia malitia ob diverſam tendentiam eſt diverſa ſpecie. Probabilius eſt etiam *apoſtaſiam* à fide differre ſpecie ab *infidelitate*. Ratio eſt: quia apoſtaſia lædit ſpeciale jus, quod Eccleſia per Baptiſmum acquiſivit in perſonam hominis fidelis; non eſt tamen ſpecialiter opus hoc in Confeſſione exprimere, cùm

in ea aliunde explicentur peccata poſt Baptiſmum commiſſa. Apoſtaſia poſt Confirmationem non addit ratione illius novam ſpeciem, eò, quòd peccetur contra gratiam, Confirmationi propriam; aliàs etiam ratione pœnitentiæ nova ſpecies adderetur: cùm peccans poſt Pœnitentiam etiam agat contra gratiam, illi propriam. *Apoſtaſia* à fide ad *Judaiſmum*, *Paganiſmum*, *Hæreſim* diverſæ eſt ſpeciei ob diverſam admodùm oppoſitionem, utì & ob diverſos ritus. Ob quam etiam rationem ſpecie diſtinguitur hæreſis Calviniana à Lutherana.

117 CONTRA SPEM. Peccare cum propoſito confitendi, vel contra vehementiſſimam inſpirationem, vel contra firmiſſimum propoſitum non peccandi, non addit novam ſpeciem. Unde ſufficit dicere ſimpliciter peccatum. Ideò autem peccare; quia DEUS ſperatur peccatum facilè remiſſurus: aut peccatum peccato addere; quia putatur utrumque eadem facilitate remittendum, addit novam ſpeciem præſumptionis de miſericordia Divina.

118 CONTRA CHARITATEM. Peccans mortaliter cum advertentia, quòd per hoc ſibi inferat mortem ſpiritualem, non addit novam ſpeciem contra charitatem propriam; quia hoc eſt commune, ac imbibitum in omni mortali. Contrarium eſt, ſi poſitivè intendat mortem ſpiritualem, ſicut, licèt contemptus DEI, odium DEI in omni mortali ſint im-

imbibita, ſpecialem tamen malitiam addunt, ſi à peccante poſitivè intendantur. Probabilius eſt addi novam ſpeciem contra charitatem, ſi peccans advertat, ſe peccando incurrere excommunicationem; quia mala, quæ per excommunicationem ſibi accerſit, videlicet privando ſe communione fidelium, ſuffragijs Eccleſiæ, jure ad ſepulturam, non ſunt in omni mortali imbibita. Qui proximum ſcandalizat, incurrit duplex peccatum: illud nimirum, in quod inducit, & alterum contra charitatem cauſando ruinam ſpiritualem. Et hoc intelligendum eſt etiam de caſu, quo actus inducenti, & inducto eſt communis. v. g. turpe colloquium. Itèm de caſu, quo ſcandalum eſt ſolum *indirectum*, id eſt, ſi non intendatur quidem proximi peccatum, ſed tantùm prævideatur ex actione ſecuturum. *Inductio* tamen, ſive per conſilium fiat, ſive per juſſionem &c. eſt ejusdem ſpeciei. *Suſurratio*, quâ diſſolvitur amicitia inter propinquos, eſt ſpecie diverſa ab ea, quâ diſſolvitur amicitia inter non propinquos; quia prior non tantùm opponitur charitati, ſed etiam pietati.

CONTRA I. DECALOGI PRÆCEPTUM. 119 *Superſtitio cum pacto explicito* diſtinguitur ſpecie ab ea, quæ eſt *cum pacto implicito* tantùm; quia longè diverſa malitia eſt *expreſſè* dæmonem invocare, & facere aliquid, in quod dæmon ſe ingerat. *Divinatio* eſt ejusdem ſpeciei, ſive fiat per aves, ſtellas,

aquam &c. quia inſtrumentum *materialiter tantùm* ſe habet; ſi autem ſacra miſceantur profanis, accedit ſpecies ſacrilegij. *Idololatria tantùm externa* ſpecie diſtinguitur ab *idololatria*, quæ ſimul eſt *interna*; quia cum hac adeſt vel ſtricta hæreſis, vel infidelitas. *Simonia* juris naturalis, vel Divini differt etiam ſpecie à ſimonia juris Eccleſiaſtici. Explicandum proinde in Confeſſione, qualis fuerit ſimonia.

120 CONTRA II. Probabile eſt *blaſphemias* in DEUM, B. Virginem, Sanctos non differre ſpecie; quia B. Virgo, & Sancti dishonorantur per reſpectum ad DEUM, adeoque blaſphemiæ omnes ſumunt ſpeciem ab uno, eodémque DEO in ſe, vel in ſuis Sanctis inhonorato. *Blaſpemia* tamen *hæreticalis* addit ſacrilegij ſpeciem contra religionem. *Juramenta* per DEUM, Sanctos, vel alias creaturas etiam non differunt ſpecie; quia in omnibus DEUS vocatur in teſtem. Nec *aſſertorium*, & *promiſſorium* juramentum ſpecie differunt; quia etiam in promiſſorio DEUS invocatur in teſtem rei futuræ. E contrà *Perjurium execratorium* à *non execratorio*, ſicut & *blaſphemia execratoria*, à *non execratoria* ſpecie diſtinguuntur ob malitiam, additam contra charitatem propriam; cùm illis jungatur imprecatio mali. Jurare, quod non vis adimplere, quod ſcis eſſe falſum, quod dubitas eſſe falſum, ſunt quidem ex communi ſententia ſpecie eadem peccata; quia tamen videtur eſſe notabiliter

iter major diſſormitas vocare DEUM in teſtem rei, quæ ſcitur eſſe falſa, quàm, ſi dubitetur (tunc enim poteſt eſſe vera) expedit de his interrogare pœnitentem. *Votum* de diverſis rebus, aliunde non præceptis, vel prohibitis, eſt ejusdem ſpeciei; nisi vovens rem, quam vovit, voluiſſet conſtituere in materia illius virtutis, ex cujus motivo vovit. Votum verò de diverſis, vel eadem re aliunde præcepta, vel prohibita, adjunctam habet ſpeciem contra illud præceptum ſpeciale, cui tranſgreſſio opponitur. Tranſgreſſio *voti pœnalis* ſecundùm ſpeciem diverſimodè eſt confitenda: nam qui vovit jejunium, ſi furaretur, confitèns ſurtum tacere poteſt votum, dummodò expleverit. Qui verò vovit non furari, & ſi furetur jejunare, confitens furtum addere debet, fuiſſe votum non furandi. Qui vovit vel non furari, vel ſi furetur jejunare, confitens furtum tacere poteſt de voto, ſi jejunaverit.

CONTRA III. Specifica diverſitas dabitur, cùm agetur de præceptis Eccleſiæ.

CONTRA IV. *Odium, detractio, irriſio, contumelia*, & ſimiles injuriæ, factæ contra Parentes, ſunt diverſæ ſpeciei, habéntque adjunctam malitiam contra pietatem Parentibus debitam. Veniunt autem nomine Parentum etiam avus, & proavus, non atavus, vel tritavus, licèt & his aliquid pietatis meritò debeatur. Si actio v. g. furtum non repugnat pietati erga Parentes, ſpecies nova non addi- 121

 tur.

tur. Injuriæ, quas Pater infert filijs, & nepotibus; itèm quas conjux conjugi, ſunt diverſæ ſpeciei: quia hi omnes debent ſibi ſpecialem amorem. Injuria, à Patre facta filio, ſpecie differt ab injuria, à filio facta Patri, aut à viro facta conjugi. Idem eſt de injuria facta fratri, aut ſorori, ab ea, quæ fit Parentibus: injuria tamen facta fratri non diſtinguitur ſpecie ab injuria facta ſorori; quia eſt conjunctio ſimilis. Ubi prætereà univerſaliter notandum, ut injuria facta fratri, aut ſorori habeat malitiam contra pietatem, debere eſſe valde gravem, & atrocem. Porrò injuria, facta propinquis alijs, non continet malitiam contra pietatem. Utì nec facta Sacerdoti, excepta percuſſione, aut ſimili inhonoratione, per quam excommunicatio incurritur. Injuria facta Superiori, ùt Superior eſt, ùt ſi quis ex formali contemptu præcepti, aut præcipientis, præceptum etiam leve transgrediatur, addit novam ſpeciem contra reverentiam. Contrarium eſt, ſi injuria fiat Superiori, non ùt Superior eſt v. g. Si quis revelet ſecretum, quod ſuperior, tanquam amicus, ipſi committit. Si Superior obliget vi Jurisdictionis (quod tamen rariùs fit, atque ex adjuncta pœna colligi poteſt) & vi voti, duplex malitia peccando contrahitur, contra votum, & obedientiam. Poteſt itèm peccatum ſpectare ad illam ſpeciem, quæ opponitur virtuti, ex cujus motivo actio à Superiore præcipitur. Injuria, facta benefactori, non addit novam

ſpe-

ſpeciem; quia obligatio gratitudinis eſt libera.

CONTRA V. Si occidens diſcerpat cadavar, evellat cor, &c. additur ſpecies feritatis. *Occiſio* perſonæ ſacræ, vel gravis percuſſio, addit ſpeciem ſacrilegij, & aliud ſacrilegium, ſi in templo fiat, cum notabili effuſione ſanguinis. Sacrilegæ ſimiliter ſunt actiones, quæ ſpecialiter Eccleſiam dedecent, ùt graves pugnæ, percuſſiones, rixæ, tametſi absque effuſione ſanguinis fiant, maximè ſi in loco fiant, ubi aſſervatur Venerabile. Graviter percutere, vel occidere perſonam, ſanguine junctam, etiam addit novam ſpeciem, ùt patet ex præcedente præcepto. Velle vulnerare, & velle occidere pariter differunt ſpecie. Idem eſt de imprecatioue malorum, ſpecie diverſorum. *Deſiderium inefficax*, ubi quaſi vovetur diverſum malum proximo, eſt ejusdem ſpeciei; quia eſt tantùm contra charitatem. 122

CONTRA VI. & IX. *Delectationes moroſa* (ſic dictæ non à mora temporis, ſed à mora requiſitæ deliberationis) ſeu complacentiæ in re turpi tunc differunt ſpecie, quando pro objecto habent ſpecie diverſum peccatum. Hinc delectatio de copula cum ſorore, & delectatio de copula cum non conſanguinea, ſpecie differunt; nisì delectatio non ſit volita ratione talis objecti, ſed tantùm, quia ſoror eſt fœmina: tunc enim ſolùm tendetur in ſororem, quia delectans eſt, non quia ſoror eſt. 123

Aliud

vel beſtiam habet ordinariè duplicem; quia ordinariè fit cum affectu ad illa. Qui cauſat pollutionem in altero, debet qualitatem iſtius perſonæ explicare. Explicandum quoque eſt, ſi pollutio fiat in os alterius, oſculentur pudenda; hoc enim graviter repugnat naturæ rationali.

Voto obſtrictus, inducens alterum in luxu- 127
riam, non contrahit malitiam ſpecialem contra votum; quia vovit ſolùm caſtitatem ſervare in ſuo corpore, nisì unà habeat delectationem, deſiderium, &c. Voto obſtrictus, fornicatus, non ſatisfacit, dicendo: commiſi cum ſoluta grave peccatum, ſed debet ſpecificare malitiá; non tamen tenetur addere actus & alia, quæ præcedunt; pollutionem verò, priùs factam, tenetur addere. Confeſſarius, confeſſione utens, tanquam mediô ad fornicandum, contrahit etiam malitiam ſacrilegij; ſecus, ſi non utatur, & fornicetur cum filia ſpirituali. *Eunuchus*, & *impotens* ſpeciem explicare tenetur, videlicet contra naturam, non itèm *potens*, deflorans Virginem, nec baptizatus, qui fornicatus eſt cum non baptizata. *Sollicitatio* ad fornicandum probabiliùs addit novam ſpeciem contra charitatem.

Stuprum differt à fornicatione propter vio- 128
lentiam; *Raptus* propter abductionem, tametſi puella conſentiat, imò etiam conſentiens, addit fornicationi ſcandalum. Non eſt tamen raptus, ſi ſponſa abducatur ad finem Matrimonij. Incepta, non at ſoluta

copula

copula cenſetur tantùm tactus impudicus; ideóque explicandus. Si verò diſpergitur ſemen, eſt pollutio. Si pœnitens ſe retrahat, & ſemen diſpergat, non eſt fornicatio, nec peccatur per retractionem. Aliud eſt in conjugibus. Qui fornicatur cum delectatione de ſodomia &c. contrahit duplicem malitiam.

129 *Conjux*, delectans ſe de copula aliena, probabiliùs dupliciter peccat. Delectans ſe de copulâ cum ſoluta, & dein commotus habens copulam peccat ob dictum motivum. Delectans ſe aliâ, dum actum habet conjugalem, itèm accedens ad ſuam, putans, ſe accedere ad aliam, peccat peccato adulterij: adulteratur etiam dupliciter, qui peccat cum alia, conſentiente licèt marito; maritus enim non poteſt cedere jure ſuo: quia jus hoc ſtatui eſt annexum, ſicut Clerico jus, nè percutiatur. Si Conjux cum ſoluta exerceat ſodomiam, oſcula, &c. adulteratur ſimpliciter; ſi exerceat ſodomiam cum ſua conjuge, adulteratur dupliciter præter ſodomiam: quia neuter ſervat ſuum corpus caſtè; non peccat tamen peccato ſacrilegij ob Sacramentum matrimonij; quia hæc irreverentia non cenſetur tanta. *Sponſus*, peccans cum non ſponſa, non contrahit novam malitiam: idem eſt de Novitio.

130 *Sacrilegium* committitur vel ratione *perſonæ*, vel *loci*, vel *rei*. Non eſt opus explicare: an

an perſona ſacra ſit Sacerdos, vel Religioſus, Diaconus &c. Neque an ſemel, an ſæpiùs voverit caſtitatem: neque an votum fuerit ſimplex. an ſolenne. Qui Ordines Sacros ſuſcipit, cum intentione non vovendi caſtitatem, habet etiam cum peccato luxuriæ ſacrilegium contra votum; quia hoc Eccleſia Ordinibus affixit. Voto obligatus, peccans cum obligato, vel eum inducens, pariter committit ſacrilegium. Sacrilegium etiam eſt, ad turpitudines adhibere verba, & res ſacras; Item exercere actum venereum, dum portatur Venerabile; non tamen, ſi geſtentur reliquiæ. Sacro die quoque fornicari, non eſt ſacrilegium, neque Die communionis; ſi tamen die ſacro Veneris producantur comædiæ obſcœnæ; itèm ſi quis ad fornicarionem progrederetur, ſtatim poſt lectam Miſſam, vel S. Communionem, vel concupiſceret mulierem, dum celebrat, dum communicat, dum adhuc apud ſe habet, vel diſtribuit ſacras ſpecies, adeſſet unà ſacrilegium; abeſſet, ſi concupiſceret, dum orat. Sacrilegium eſt copula, utì pollutio, licèt occulta, in loco ſacro; itèm copula conjugalis non neceſſaria. Oppoſitam tamen Sanchez l. 9. D. 15. n. 10. vocat veriſſimam ferè omnium, licèt eam non ſequatur. Sacrilegium non ſunt aſpectus, tactus, oſcula, turpiloquia in loco ſacro, niſì magna adeſſet irreverentia, ut ſi publicè fierent, ante altare tangeretur meretrix, vel

can-

cantilena turpis, aut populo nota melodia inſereretur Officio, aut turpis comœdia ibidem exhiberetur.

131 *Oſcula, tactus, fornicatio, Sodomia circa conſanguineos, vel affines* ſunt ſimul *ſpecies inceſtûs.* Probabile etiam eſt eſſe diverſæ ſpeciei facta cum conſanguineis, & cognatis non conſanguineis, uti etiam cum conſanguineis in 1. fortè in 2. gradu, & cum conſanguineis in reliquis gradibus; itèm ſi ſponſus cognoſcat conſanguineam ſponſæ in 1. gradu, & 2do, non in reliquis. Diverſæ ſpeciei eſt inceſtus cum cognatis cognatione ſpirituali ab alijs inceſtibus; quia habet annexum ſacrilegium. Sed his contrarius eſt S. Thomas 2. 2. q. 154. a. 9. uti & alij permulti. Unde probabilius eſt, peccata luxuriæ inter conſanguineos, uti & conſanguineorum, atque affinium ad ſe comparata ſpecie non diſtingui.

132 *Pollutio, Sodomia, beſtialitas* ſunt diverſæ ſpeciei ob diverſam gravem deordinationem

133 In *ſodomia* teneris dicere, an fueris agens? an patiens? agenti enim conjuncta eſt pollutio. Fœmina etiam probabiliter dicere tenetur, in qua parte commiſerit, ut ſciatur, an fuerit perfecta, aut imperfecta ſodomia. Eſt etiam ſodomia, ſi duo mares ex affectu ad eundem ſexum permiſceant corpora, licèt ſemen non effundant in vas præpoſterum. Additur inceſtus, ſi ſint cognati.

In

In *beſtialitate* explicari debet, an facta ſit cum beſtia mare, fœmella, & ſi cum fœmella, an in vaſe naturali, an præpoſtero, ob diverſas deordinationes. 134

Coitus cum Dæmone habente formam hominis revocatur ad beſtialitatem; quia detorquetur affectus ad non hominem, habétque annexam malitiam contra religionem eo, quòd fiat cum maximo DEI hoſte. 135

CONTRA VII. & X. Res diverſæ *furto* ſublatæ non cauſant diverſam ſpeciem, niſì ſint ſacræ. Idem eſt in detractione de perſonis, licèt ſacræ ſint. *Rapina* addit furto novam malitiam propter violentiam. *Res ſacra* ablata, vel res profana, de qua reſpondere debeat locus ſacer, ut ſi mutuum ſit, vel commodatum loco ſacro, addit unum ſacrilegium; ſi inſuper auferatur in loco ſacro, ſeu Eccleſia, tametſi polluta, non verò in Monaſterio &c. additur alterum. Res non ſacra, pro qua locus ſacer reſpondere nõ tenetur, ablata in loco ſacro non addit. Accedens ad Confeſſionem, ut furetur, non committit probabiliter ſacrilegium ratione furti, licèt committat ratione indiſpoſitionis. Non eſt etiam ſacrilegium furari rem per votum DEO promiſſam. 136

CONTRA VIII. *Mendacium* circa res fidei, ſi velis ſignificare DEUM falsè locutum, eſt ſimul blasphemia; ſecùs ſi præſcindas à verbo DEI. 137

Digitized by Google

138 *Judicium temerarium* ſpecie diſtinguitur à detractione.

139 Falſum crimen imponere proximo, & revelare verum eſt *detractio* ejusdem ſpeciei; utrumque enim malum eſt tantùm ratione injuriæ dicendo illatæ. Materia detractionis diverſa, utì & judicij temerarij, non facit ſpeciem diverſam, ſicut materiæ furti, nisì detractio ſit ſcandaloſa, vel noxia quoad bona fortunæ. *Suſurratio*, quâ detrahendo turbatur pax, differt ſpecie à detractione ob læſionem Charitatis expreſſam. *Contumelia*, quâ præſenti in faciem detrahitur, etiam differt ſpecie à detractione; quia per hanc rapitur fama, per alteram honor.

140 CONTRA PRÆCEPTA ECCLESIÆ. Exercere die feſto ſervilia, & forenſia ſunt ejusdem ſpeciei; feſtum etiam majus, vel minus non mutat ſpeciem.

141 *Violatio jejunij* per comeſtionem carnium, & per comeſtionem ovorum, & lacticiniorum, ubi hæc prohibita ſunt, differt ſpecie; quia finis, videlicet mortificatio carnis, notabiliter eſt diverſus. Idem eſt de violatione per comeſtionem carnium, & per duplicem refectionem. Vigilia, dies Veneris, Quadrageſima, Quatuor Tempora non addunt violationi jejunij novam ſpeciem. E contra violatio jejunij ab Eccleſia præcepti, à Superiore imperati, à Confeſſario pro pœnitentia injuncti, & ex voto debiti habet quatuor ſpecies malitiæ.

CON-

Digitized by Google

CONTRA SACRAMENTA. Deficiens à fide poſt Baptiſmum, & Confirmationem unicum peccatum infidelitatis committit. Conficiens, & ſuſcipiens in mortali committit duo ſpecie. Non committit tamen ſpeciale ob non præmiſſam Confeſſionem celebrationi, committit ob excommunicationem, aut quia non eſt jejunus, aut quia ſinè ſacris veſtibus, aut extra locum ſacrum celebrat. *Celebrans in mortali, & ſe communicans* quatuor ſpecie peccata committit. 1. Quia in mortali conficit. 2. Quia indignè miniſtrat. 3. Quia miniſtrat indigno. 4 Quia ſuſcipit indignè. Explicantur omnia, ſi dicat: celebravi in mortali; nec opus eſt dicere: celebravi in pluribus mortalibus, ſi pluribus eſt obnoxius. Communicans publicum peccatorem duas ſpecie malitias contrahit; quia cooperatur, & quia infideliter fungitur officio. Negligens S. Communionem in articulo mortis, & tempore Paſchali, dupliciter peccat. Sacrilegium committit, qui abſque examine debito ante Confeſſionem exponit ſe periculo, nè mortale omittat. Itèm qui aliquod mortale ex pudore, aut ſimili motivo reticet. Itèm qui non elicit debitum dolorem, & propoſitum. Hi modi tamen ſunt unius ſpeciei Sacrilegæ. 142

Mendacium in Confeſſione eſt Sacrilegium, ſed leve, vel grave pro materiæ conſtitutione. 143

Contrahentes Matrimonium in mortali 143

 dupli-

duplicem malitiam contrahunt, ut miniſtri videlicet, & ut ſuſcipientes. *Adulterium conjugatorum* non habet annexum Sacrilegium ob Sacramentum; quia Sacramentum in ſe, & immediatè non violat, ſed violat ſolùm legem indè ortam.

Percuſſio Clerici habet etiam malitiam contra religionem. Parochus Sacerdos, & Monachus ſimul committit unum peccatum breviarium non orando, uti & omittens horas unius diei.

145 PECCATA CAPITALIA: *Superbire*, quòd putes te habere bonum aliquod independenter à DEO, & ità velle excellere, ut nolis te ſubmittere DEO, duæ ſpecie ſunt malitiæ. Res, de quibus ſuperbitur, ſpeciem non addunt.

147 *Jactantia* de peccato, conjuncta delectationi, gaudio, vel deſiderio, à peccato, de quo eſt, accipit novam ſpeciem; ſecus probabile eſt, ſi enumerata abſint, uti & ſi te jactes de materiali, non formali peccati v. g. quòd alterum inebriaveris. Si jactantia conjuncta ſit cum damno proximi, additur nova ſpecies.

148 *Inebriatio* per potum, & per aliud cauſata, differunt ſpecie.

149 *Ira* conjuncta rixæ, maledictioni, blaſphemiæ &c. exinde ſortitur novam, vel novas ſpecies.

Digitized by Google

§. X.

De Scientia Caſuum Reſervatorum.

Q. 1. *Quid ſit caſuum reſervatio ?* ℞. 149
Cum Stoz. l. 2. q. 2. a. 3. §. 1. n. 57. & communi. Reſervatio caſuum eſt actus, quo Superior alicui inferiori, vel non concedit juriſdictionem in aliqua peccata, vel jam antea conceſſam iterum aufert. Ex quo facilè patet, caſum reſervatum eſſe illud peccatum, à quo inferior aliquis Confeſſarius nequit abſolvere ob defectum juriſdictionis ſibi à ſuperiore in illam conceſſæ, vel iterum ablatæ.

Q. 2. *Cui competat poteſtas caſus reſervan-* 150
di ? ℞. Id declarari à Trid. ſeſſ. 14. c. 7. de S. Pœnit. Sacram. his verbis : *Perſuaſum ſemper in Eccleſia DEI fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet Juriſdictionem. Magnopere verò ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere Sanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam, & graviora crimina, non à quibuſvis, ſed à ſummis duntaxat Sacerdotib. abſolverentur. Unde meritò Pontifices maximi pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia univerſa tradita cauſas aliquas criminum graviores ſuo potuerunt peculiari Judicio reſer-*

vare Neque dubitandum eſt, quando omnia, quæ à DEO ſunt, ordinata ſunt, quin hoc idem Epiſcopis omnibus in ſua cuique Diœceſi, in ædificationem tamen, non in deſtructionem liceat. Unde colliges 1. Papæ jure Divino competere ſic, ut ille ſolus jurisdictionem neceſſariam ad peccatorum remiſſionem, & abſolutionem in ſui electione, & ordinatione accipiat; reliquos verò ſeu Epiſcopos, ſeu Prælatos exemptos jure Eccleſiaſtico à Papa, qui proinde ipſis jurisdictioné limitatam conferre poteſt, ſicut & Epiſcopi, vel alij Prælati, quaſi Epiſcopalem Jurisdictionem habentes, ſubditis ſuis limitatam conferre poſſunt. Laym. l. 5. tr. 6. c. 12. n. 1.

151 Colliges 2. ſolos illos poſſe caſus aliquos reſervare, qui habent poteſtatem alijs conferendi jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, ac ideò Papam poſſe reſervare reſpectu totius Eccleſiæ, Epiſcopum reſpectu diœceſis ſuæ, Prælatum regularem pro ſuo Ordine, vel domo, Parochum pro ſua Parochia. Stoz cit. §. 4. n. 62.

152 Q. 3. *Quis finis, quòd aliqua peccata reſerventur, ſeu quòd circa aliqua jurisdictio denegetur?* ℟. Eo fine id fieri, ut ſubditi intelligentes, hujus, aut illius ſceleris abſolutionem difficulter poſſe obtineri, magis exinde illius grávitatem apprehendant, ac ab eo committendo deterreantur. Gob. tr. 7. n. 348. Laym. cit. loco. cum communi.

Q. 4.

Q. 4. *Quod, & quale peccatum cenſendum* 155
ſit reipſa reſervari? ℞. Ad hoc requiri ſequentes conditiones. 1. eſt, ut ſit ***mortale***, non ex objecto tantùm, ſed etiam cum plena advertentia commiſſum; venialia enim vel nequeunt, vel certè non ſolent reſervari, cùm nemo teneatur illa confiteri. 2. Eſt, ut ſit ***externum***: interna enim, etſi reſervari poſſint, rariùs tamen reſervantur. 3. Ut ſit non inchoatum tantùm, ſed etiam ***conſummatum***. Rationem dat Gob. n. 353. quia reſervatio eſt odioſa; ergo reſtringenda ad ſolos actus perfectos, & conſummatos. 4. Ut ſit ***admodum grave***, ***atrox***, ***enorme***: graviſſimum enim aliàs onus peccanti imponeretur, ſi pro quolibet peccato illi recurrendum foret ad Superiorem. 5 *Ut non* ſit ***valde frequens***: alioquin nimia moleſtia cieretur tum Superioribus, tum ſubditis. Ex quo deducit Gobat n. 355. innixus doctrinæ Laymanni, lectionem librorum hæreticorum mortale quidem eſſe, ſed non reſervatum, quod limitat ad loca, quæ ſcatent hæreſibus. Idem eſt, de lectione Bibliorum vulgari idiomate reſpectu vulgi. Videtúrque inniti, nec malè, rationi Laymannianæ; quia quoad hæc puncta Bulla non videtur recepta. Quòd autẽ vulgo indocto lectio Bibliorũ non liceat, ratio eſt periculum erroneæ explicationis, quod periculum magìs, & reſpectu plurium urget in lectione librorum hæreticorum. 6. eſt, ut peccatum ***non ſit dubium***, ſeu dubio ***juris***, quo dubita-

tur, ſitne lata lex reſervans? ſeu *facti*, quo dubitatur, an revera ſit actum contra legem? Quæ reſervatio agnoſci poteſt, quando actui interno eſt excommunicatio adjuncta, quemadmodum eſt conjuncta opinoni, quòd liceat actum dilectionis ſemel tantùm in vita elicere, ſi in praxim deducatur, ut ex propoſitione 5. inter 65. ab Innoc. XI. damnata patet. Idem eſt de aliјs internis actibus prop. 3. & 10. prohibitis.

154 Q. 5. *Quotuplex ſit reſervatio?* R. 1. Reſervationem aliam eſſe *pœnalem*, aliam *non pœnalem*, ſed *medicinalem*. Stoz. l. 2. q. 2. a 3. n. 59. Lugo de Pœnit. D. 20. n. 9. &c. *Pœnalis* eſt, quæ fit in pœnam peccati; *medicinalis*, quæ fit in bonũ, fideliũ vel ob rectã gubernationem alicujus communitatis. Eſt verò *pœnalis* tunc, quando ſupponitur delictum ità, ut ipſum delictum ſpecialiter prohibeatur, & puniatur; *non pœnalis* eſt, quæ fit quidem per legem reſervantem, ſed non ſpecialiter delictum prohibentem. *Pœnalis* non incurritur, ſi ſaltèm invincibiliter ignoretur, reſervationem lege eſſe impoſitam *Medicinalis* è contrà incurritur, tametſi etiam invincibiliter ignoretur. Stoz. cit. loco cit. citans pro ſe Sanch Palaum, Lugonem, & alios. Ubi etiam n. 60. notat caſus à Pontifice reſervatos ſemper expreſsè habere, vel cenſeri habere cenſuram annexam, & tum quoad peccata, tum quoad cenſuram eſſe reſervatos, ità ùt reſervatio utraque inter ſe ſit

con-

Digitized by Google

connexa, & ablatâ alterutrâ cenſeatur ablata & altera. Unde dum ignorantia, vel metus, vel alia cauſa excuſat à cenſura, hoc ipſo peccatum non cenſetur reſervatum. Sed oppoſitum magis conſentaneè tenet Laym. l. 5. tr. 6. c. 12. n. 2. docens peccatum hæreſis, cui excommunicatio Papalis annexa eſt, per ſe, & immediatè reſervatum eſſe Papæ, reſervari etiām, tametſi à cenſura excuſetur. Proinde peccata in Bulla Cœnæ prohibita, tametſi ratione ignorantiæ à cenſura excuſentur, reſervata tamen manent. Quod idem praxis docere videtur, quâ paſſim etiam pro idiotis hæreticis facultas abſolvendi ab hæreſi petitur, de quorum ſaltèm multis certum eſt ab ijs cenſuram ignorari. Cæterùm omnino admittit à quavis cenſura excuſare tum ignorantiam legis ipſius, tum cenſuræ etiam in caſibus Bullæ Cœnæ, licèt ignorantia vincibilis foret, modò non ſit craſſa, & ſupina. Quod idem docet Sanchez l. 9. de Matr. D. 32. n. 31. Porrò etiā caſus ab Epiſcopo reſervati, annexam habentes excommunicationem, dum excuſantur à cenſura, manent reſervati quoad peccatum. Tamb. l. 5. de Pœnit. tr. de caſibus Reſervatis c. 5. §. 1. n. 7.

Q. 6. *Quomodo reſervatio fiat?* ℞. Eam fieri dupliciter *directè* nimirum, & *indirectè*. *Directè*, fit, quando ſuperior jurisdictionem ſubditi ſibi habet ſubordinatam, eámque reſtringit. *Indirectè*, cùm quis Confeſſarij jurisdictionem non habet ſibi ſu- 156

ordinatam, utpote cui Confeſſarius ſubjectus non eſt; ſubditum tamen illi ſuum ſubjicit quoad aliqua tantùm peccata, non quoad omnia.

157 Q. 7. *Qui caſus ſint reſervati Pontifici?*
R. Alios eſſe, qui referuntur in Bulla Cœnæ, quæ indè ſic nuncupatur, quòd annis ſingulis feriâ 5tâ Majoris hebdomadæ, ſeu Cœnæ Domini ſoleat renovari, & confirmari. Alij ſunt, & colliguntur ex alijs Bullis Pontificijs, in quibus transgreſſoribus excommunicatio ſtatuitur, cujus abſolutio ſoli Pontifici reſervatur. Talis ſtatuta eſt in eos, qui propoſitionem aliquam ex damnatis ab Alex. VII. Alex. VIII. Innoc. XI. Clem. XI. &c. docuerint, vel defenderint.

158 In Bulla Cœnæ ſunt ſequentes. 1. Hæreſis *formalis tantùm*, hæreticorum receptatio, protectio, lectio librorum hæreticorum absque facultate ex profeſſo de hæreſi agentiũ, eorum retentio, ſchiſma, ſeu ſubtractio ab obedientia Pontificis. 2. Appellatio à Summo Pontifice ad Concilium, ubi includuntur auxiliantes, conſulentes, & faventes. 3. Prædatio piratarum, curſariorum, & latrunculorum in mari Pontificio, præcipuè à monte argentario, uſque ad Tarracinam, ubi includuntur fautores, receptatores, & defenſores. 4. Surreptio mercium poſt naufragium in cujuscunque maris litoribus. 5. No-

Novorum pedagiorum, & gabellarum, exceptis caſibus à jure, ſeu ex ſpeciali licentia permiſſis, impoſitio. 6. Falſificatio literarum Apoſtolicarum. 7. Procuratio, & delatio armorum, & aliorum neceſſariorum ad hoſtes Chriſtianitatis, ut Turcas, hæreticos, quibus Chriſtianos impugnant. 8. Impeditio, vel invaſio eorum, qui victualia, ſeu alia ad uſum Romanæ Curiæ neceſſaria adducunt. Includuntur horum deffenſores. 9. Occiſio, mutilatio, ſpoliatio, comprehenſio, detentio abſque jurisdictione eorum, qui ad Pontificem accedunt, vel recedunt; Itèm temeraria vindicatio jurisdictionis. 10. Specialiter ſi hæc exerceantur reſpectu Romipetarum causâ devotionis. 11. Itèm reſpectu Cardinalium, Patriarcharum, Archi-Epiſcoporum, Epiſcoporum, Legatorum Apoſtolicorum. Includuntur eorum è ſuis diœceſibus, territoriis, dominiis electores, & cooperatores. 12. Percuſſio, vel ſpoliatio eorum, qui in negotiis ad Sedem Pontificiam recurrunt, vel negotia apud illam agunt. Includuntur cooperatores. 13. Impeditio, nè literæ Apoſtolicæ dentur executioni; Itèm impeditio, nè aliqui pro talibus literis ad Sedem Pontificiam recurrere poſſint. 14. Uſurpatio judicii judicibus Eccleſiaſticis competentis. 15. Præſumptio eorum, qui Perſonas Eccleſiaſticas contra juris Canonici diſpoſitionem ad ſuum tribunal trahunt, vel trahi faciunt, ſeu directè, ſeu indirectè procur-

curant, vel ſtatuta edunt Eccleſiaſticæ libertatis ſublativa, aut reſtringentia. 16. Impeditio, nè Judices Eccleſiaſtici ſuo munere fungi poſſint. Itèm eluſio judicii Eccleſiaſtici, & recurſus ad ſæculare. Includuntur auxiliantes, conſulentes, patrocinantes, faventes. 17. Uſurpatio redituum Eccleſiaſticorum. 18. Impoſitio collectarum, decimarum &c. Perſonis Eccleſiaſticis, Prælatis, Monaſteriis &c. facta ſinè expreſſa Pontificis licentia. 19. Interpoſitio Judicum, Magiſtratuum &c. in cauſis capitalibus contra perſonas Eccleſiaſticas illas proceſſando, banniendo, capiendo, ſententiã contra illas proferendo, vel exequendo, ſinè ſpeciali, ſpecifica, & expreſſa S. Sedis licentia. 20. Invaſio, deſtructio, occupatio, detentio locorum, & jurium ad Romanam Eccleſiam pertinentium. Circa hæreſim addo ex Gobat. tr. VII. n. 371. in Append. etiam Epiſcopos quosdam Germaniæ pro facultate ſibi conceſſa ab ea abſolvere, ut conſtans praxis docet. Idem eſt de iis caſibus, qui ob frequentiam, vel impedimentum adeundi Pontificem fiunt Epiſcopales.

159 Q. 8. *Qui caſus reſervati ſint Epiſcopis?* ℞. Cum Laym. ſuprà cit. n. 4. Doctores non convenire, qui caſus ſeu jure, ſeu conſuetudine Epiſcopis reſerventur. Inſpiciendæ proinde ſunt Diœceſium conſuetudines, & ſtatuta. In pluribus tamen Diœceſibus reſervatur homicidium voluntarium, crimen incendiarii, & præſtitum auxilium, veneficium, ſor-

ſortilegium, ſacrilegium in loco ſacro commiſſum, perjurium, & falſum teſtimonium, ſi fiant in judicio, peccatum, cui irregularitas annexa eſt, & quodcunque aliud grave, enorme, publicum, & ſcandaloſum, cujus causâ olim Laicis ſolennis indicenda erat pœnitentia, adulterium notorium, & omnia eo majora. In hac verò Diœceſi Wratislavena nullum ex his, aut quodcunque eſt ſpecialiter reſervatum. Cœterùm Epiſcopus nullum reſervare poteſt, niſi in ſua Diœceſi. Unde ſi Diœceſanus ad aliam Diœceſim ſe transferat cum reſervato in Diœceſi, ex qua ſe transfert, imò etiamſi. Similiter ſi Diœceſanus cum per alliam Diœceſim, ubi reſervatum non eſt, ſolùm viatorem agat, dummodo id non hoc fine, conſequenter non in fraudem faciat, abſolvi ibidem poteſt. Laym. l. 5. tr. 6. c. 10. n. 10. & alii. Ratio eſt: quia nec conſuetudo, nec Epiſcopus *j*urisdictionem Confeſſarii, quam in ſua Diœceſi habet, reſtringere cenſetur. Regulares tamen Societatis caſu reſervato innodati, licèt aliis in via confiteri poſſint, & abſolvi, tenentur ſe ſuo Superiori ſiſtere, & vel illi, vel habitâ licentiâ alteri confiteri. Ratio deſumitur ex mente Superiorum, qui ſic juriſdictionem delegant. Lugo de pœnit. d. 15. ſ. 6 §. 3. peccato in ſua Diœceſi non reſervato ad aliã tranſeat, ubi reſervatum eſt, abſolvi poteſt, ut contra Laym. & Tamb. docet Stoz. l. 2. q. 2. § 5. 64. Ratio illius eſt. 1. Quia cum reſervatio fiat ab Epiſcopo in bonum ſuæ Diœce-

ſis,

Digitized by Google

ſis, peccatum in alia Diœceſi à non ſubdito commiſſum huic Diœceſi non obeſt, neque reſervatio prodeſt. Ratio eſt 2. Quia Confeſſarius Viatorem ex aliena Diœceſi abſolvit per Jurisdictionem ab Epiſcopo, vel Parocho Viatoris ex recepta conſuetudine delegatam. Quòd ſi Diœceſanus, in cujus Diœceſi peccatum aliquod reſervatum eſt, id ipſum in alia, ubi reſervatum non eſt, committat, in ſua Diœceſi abſolvi nequit. Ità cit. Stoz. l. cit. Addendum hìc, quod Bulla Clem. VIII. monet, caſus paucos, eóſque tantùm, quos ad Chriſtianam diſciplinam retinendam judicaverint retinendos, ab Epiſcopis reſervari debere.

160 Q. 9. *An Regulares ſubjaceant caſibus ab Epiſcopo reſervatis?* ℞. Non exempti ſubjacent; exempti non ſubjacent: quia quoad hoc non ſubjacent jurisdictioni Epiſcopi.

161 Q. 10. *Qui caſus reſervari poſſint à Superioribus Religionum?* ℞. Superioribus Regularibus poteſtatem reſervandi, ad præcavendum abuſum, ad undecim caſus eſſe reſtrictam à Clem. VIII. quos refert Laym. ſuprà cit. n. 6. Sunt autem ſequentes. 1. Apoſtaſia à Religione ſive habitu dimiſſo, ſive retento, quando eò pervenerit, ut extra ſepta Monaſterij, ſeu Conventûs fiat. 2. Nocturna, ac furtiva è monaſterio egreſſio. 3. Veneficia, incantationes, ſortilegia. 4. Pro-

Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale. 5. Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus. 6. Furtum mortale de rebus Monaſterij. 7. Juramentum falſum in judicio legitimo. 8. Procuratio, conſilium, vel auxilium ad abortum fœtûs animati, etiam effectu non conſecuto. 9. Occiſio, vel vulneratio, ſeu gravis percuſſio cujuscunque perſonæ. 10. Falſificatio manûs, vel ſigilli Officialium Monaſterij. 11. Malitioſum impedimentum, retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores; vel contrà.

Circa quos Nota 1. Non omnes hos caſus in omnibus Religionibus reſervari, ſed ſolùm poſſe reſervari. In Societate tamen noſtra omnes reſervantur, & præter hos decem alij. 162

Nota 2. Per *Apoſtaſiam* intelligi deſertionem Religionis animo deliberato factam, ſive in perpetuum, etiam retento habitu, ſive ad tempus dimiſſo habitu; tametſi poſt vota ſimplicia, in Societate facta, contingat, ùt declaravit Paulus III. in Bulla: *Licèt debitum.* Et Pius V. in Bulla: *Æquum reputàmus.* Juxta Suar. de Relig. tom. 4. tr. 8. l. 3. c. 12. n. 16. Apoſtata etiam dicendus eſt, qui citra legitimam licentiam, deſerta ſua Religione, ad laxiorem tranſit. Ratio illius eſt, quia invalidè aſſumit 163

la-

Digitized by Google

laxiorem; ergo re ipſa deſerit omnem Religionem.

264 Nota 3. Per lapſum carnis voluntarium opere conſummatum intelligi etiam pollutionem. Gob. tr. 7. n. 677. Ratio eſt: quia eſt actus externus conſummatus in ſua ſpecie. S. Thom. 2. 2dæ. q 154. a. 11. Suar. cit. l. 2. c. 18. Secus dicendum de impudicis aſpectibus, tactibus, loquelis, lectionibus, quamvis de ſe ſint peccata mortalia externa. Ratio: quia non cauſatur lapſus carnis opere conſummatus. In Societate tamen etiam hæc reſervantur, utì & aſpectus inhoneſtus faciei, vel tactus manûs muliebris, ſi fiat ad malam voluntatem indicandam, vel cum ſcandalo. Non reſervatur delectatio moroſa cum genitalium commotione, tametſi in ſe foret volita La. Croix l. 5. p. 2. n. 1671. & 1672.

265 Q. 11. *Per quem abſolvi poſſit ſuperior caſu reſervato innodatus?* ℞. Cum communi ex cap. fin. de Pœnit. & remiſs. Superiorem etiam Regularem *ordinariè* poſſe in hac materia circa ſe, quod poteſt circa alios, adeoque poſſe ſibi eligere Confeſſarium, à quo abſolvatur. In Societate tamen noſtra Superiores locales abſolvuntur ab Ordinarijs ſuæ Domûs Confeſſarijs. Quòd ſi alium ex ſuis ſubditis malint, is abſolvet cum onere ſe præſentandi Provinciali. Provinciales autem

tem abſolvi poſſunt à ſuo Socio, à Superioribus localibus, ſeu eorum ad id delegatis, à Confeſſariis Domûs, quo jure etiam gaudent ipſius Socii. Nomine Superiorum verò etiam intelliguntur Superiores Reſidentiarum, & Miſſionum. Itèm vices gerentes, ſi Superior ex Urbe diſcedat. La. Croix l. 6. p. 2. n. 1664. & 1684. Plura ſuper hac materia parte altera.

§. XI.

De Scientia modi validè, licitè, & fructuosè hoc Sacramentum adminiſtrandi.

Q. I. *Quæ requirantur ad Sacramentum hoc validè adminiſtrandum?* 166

℞. Suppoſito vero Sacerdotio, Approbatione, & Jurisdictione requiritur 1. Debita intentio adminiſtrandi. Erit autem debita, ſi vel *directa* ſit, & *formalis*, quæ optima eſt; vel *ſaltèm virtualis*, ſeu elicitâ formali in aliquo effectu moraliter perſeverans, aut idem (licèt alio conceptu exprimatur) in re ſignficans, quod explicita, & formalis. 2. Materia, & forma valida. Ratio deſumi-

tur ex Florent. in Decreto Eugenij: *Sacramenta tribus perficiuntur &c.* Erit autem materia, & forma valida, ſi ea ponatur, quæ à Chriſto eſt determinata, nec *ſubſtantialiter Theologicè* mutetur.

167 Q. 2. *Quæ requirantur ad idem Sacramentum licitè adminiſtrandum?* ℞. Requiri 1. Ut nihil deſit ad valorem; ſemper enim illicitum eſt conficere Sacramentum invalidum: licèt non viciſſim illicitè conficere, ſemper ſit invalidè conficere. 2. Ut Confeſſarius ſit in ſtatu gratiæ, excepto neceſſitatis caſu, quo temporis brevitas non patitur, ut contritio eliciatur. 3. Ut adminiſtrando non admittat aliquid, graviter repugnans decori, quem ſeu rei natura, ſeu Eccleſiæ præceptum requirit. Ratio horum eſt: quia hæc requiſita omittendo Sacramentum indignè tractatur.

168 Q. 3. *Quæ requirantur ad illud fructuosè adminiſtrandum?* ℞. Fructuosè adminiſtrari, ſi ea, quæ officium Doctoris, Judicis, & Medici exigit, debitè obſerventur, id eſt, ſi debitè interrogentur, inſtruantur, diſponantur pœnitentes, judicium rectum de peccatis, eorum numero, ſpecie, circumſtantijs feratur, conveniens pœnitentia tum pœnalis, tum medicinalis præſcribatur; media itèm convenientia peccatis, impoſterũ vitandis, proponantur.

§. XII.

§. XII.

De Scientia opinionum probabilium, & quando adhibendæ?

Q. 1. *Quid, & Quotuplex ſit opinio* 169
probabilis? ℞. 1. Opinio probabilis eſt *aſſenſus intellectûs de re aliqua incertus, & obſcurus nitens motivo incerto*; Seu, ut meliùs eam definit Laym. l. 1. tr 1. c. 5. § 2. n. 6. *eſt ſententia, qua certitudinem non habens, tamen vel gravi auctoritate, vel non modici momenti ratione nititur.* Authoritas aſſenſui dat probabilitatem *extrinſecam*, ratio *intrinſecam*. Diſtinguitur opinio probabilis à *dubio*: quia dubium non eſt aſſenſus intellectûs, ſed facit illum hærere ancipitem. ℞. 2. Aſſenſus probabilis, uti & dubium, aliquando eſt *juris*, aliquando *facti*. *Juris*, vel *de jure*, vel *circa jus* eſt, quando judicatur, vel dubitatur aliquid præceptum eſſe, vel non præceptum per legem. *Facti*, vel *de facto*, vel *circa factum* eſt, quando judicatur, vel dubitatur aliquid factum, vel non factum eſſe. Sic opinio (idem applica dubio) *juris* eſſet, ſi quis judicaret die feſto licitum eſſe piſcari. Opinio *facti* eſſet, ſi quis judicaret ſe votum non emiſiſſe nixus motivo, ad aſſenſum ſufficiente, licèt non certo. Iterum opinio (idem rurſus applicari poteſt dubio) alia eſt *ſpecula-*

eculativa, alia *practica*. *Speculativa* à quibuſdam eſſe dicitur tunc, quando non quæritur *directè* de praxi, ſeu de actione morali, ſed de alio quodam legitimo e. g. an Matrimonium contractum ſit validum? *Practica*, quando *directè* quæritur de praxi, ſeu actione morali, an ea licita ſit, vel illicita? e. g. an licitum ſit matrimonium clàm contrahere? Sed meliùs *ſpeculativa* dicenda eſt illa, quæ vel de praxi nihil enuntiat, vel tantùm procedit habita ratione principij Univerſalis, non conſideratis illis, quæ cum praxi communiter conjunguntur. *Practica* verò eſt illa, quæ tenet praxim eſſe licitam, conſideratis, quæ cum praxi communiter conjunguntur. Ex quo facilè colliges, opinionem *ſpeculativè* probabilem poſſe eſſe *practicè* improbabilem; quia poteſt dari actio de ſe licita, quæ in praxi exerceri non poſſit ob circumſtantias ſcandali, irreverentiæ, damni proximo inferendi: ſic *ſpeculativè* probabilis eſt aſſerens conſecrationem in pane ſiligineo eſſe validam; *practicè* tamen eſt improbabilis, ob periculum, nè Sacramentum exponatur fruſtrationi. Porrò opinio probabilis dividitur in *abſolutam*, & *reſpectivam*. *Abſoluta* eſt, quæ ab omnibus, tum doctis, tum indoctis pro tali habetur. *Reſpectiva* eſt, quæ non reſpectu omnium, ſed tantùm reſpectu alicujus, vel aliquorum pro tali habetur. Unde contingere poteſt, ut ſententia, quæ alijs eſt improbabilis, mihi ſit probabilis; & viciſſim.

Digitized by Google

Q. 2. *Quæ authoritas ad probabilitatem* 170
ſufficiat? ℞. Nomine *authoritatis* paſſim intelligi ſenſum plurium proborum, & approbatorum Authorum pro ſuo judicio ſtantium, aut ſaltèm unius Doctoris, in quo ſequentes adſint conditiones. 1. Ut habeat judicium ſanum, id eſt, doctrinâ circa quæſtionis objectum egregiè inſtructum, veritatis potiùs, quàm novitatis, aut ſingularitatis amans, paſſione animi, aut præoccupatione mentis liberum. 2. Ut non nitatur motivo levi, vel ab alijs rite ſoluto. 3. Ut ſit bonæ vitæ, juſtam ſuſpicionem laxitatis in ſentiendo removentis. 4. Ut ex inſtituto, & perpenſis utrinque rationibus, non merè incidenter & obiter ſententiam tradiderit. Proinde damnatio prop. 27 ab Alex. VII. factæ: *Si liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet rejectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquam improbabilem*, talem authorem non concernit; ſed eum duntaxat, in quo enumeratæ conditiones non inveniuntur. Gobat. tr. 5. n. 831. *Certò probabilem* de moribus cenſet illam, quam à pluribus jam ſæculis in hodiernum diem tradiderunt permulti Viri Clariſſimi eruditione, ſapientiâ, pietate, & quidem perſpectis argumentis partis adverſæ nullo novo decreto Eccleſiæ munitæ. E contrà n. 899. *certò improbabilem* cenſet illam, quæ de objecto graviſſimo, & ab omnibus propè pertractato, ac verſante in uſu propè quotidiano defenditur, aut traditur ex-

Digitized by Google

preſsè ab uno ſolo Authore. 2. Quæ nititur rationibus facilè ſolubilibus. 3. Quæ repugnat ſenſui aliorum omnium timoratorum. 4. Quæ habetur pro improbabili à multis, à nullo pro apertè probabili.

171. Ex his facilè conjicitur, quæ opinio dicatur *probabiliter probabilis*, *dubiè probabilis*, & *tenuiter probabilis*. Nempe *probabilem* eſſe illam, pro cujus probabilitate opinanti præſtò non eſt motivum certum, ſed incertum; *dubiè* verò *probabilem* eſſe illam, quando vel à ſapientibus dubitatur de probabilitate, vel ſi dubium oboriatur, an motivum grave ſit? an leve? vel an Autores opinionis ſint probatæ authoritatis? *Tenuiter* denique *probabilem* eſſe illam, quando motivum opinionis ità leve eſt, ut cenſeatur imprudens illi aſſentiri.

172 Q. 3. *Quæ opinio ſit probabilior? quæ tutior?* ℞. 1. *Probabiliorem* dici illam, quæ meliori fundamento nititur, non quæ à pluribus traditur. Ratio eſt: quia Authores non per ſe ipſos probabilitatem opinionibus tribuunt, ſed per firmas rationes, quibus nituntur, vel niti præſumuntur. Stoz. l. 1. p. 5. q. 3. a. 3. n. 102. citans pro ſe Sanchez, Palaum, & Sancium. Unde ſententia etiam unius poteſt eſſe probabilior, quàm ſententia multorum. ℞. 2. Sententia *tutior* eſt, quæ eſt in tali materia, in qua ſecuriùs evitatur peccatum etiam materiale; ſicut minùs tuta eſt, quæ eſt circa materiam talem, quam ſequendo faciliùs incidi poteſt in peccatum

tum ſaltem materiale. Unde colliges ſententiam aliquam poſſe eſſe probabiliorem, non tamen tutiorem, aut æquè tutam; quia poteſt niti meliori fundamento, non tamen adeò ſecura eſſe, ac minùs probabilis. Sic ſententia docens tenue juſculum eſſe materiam validam Baptiſmi, eſt probabilior, non tamen tutior. Kugler in compendio Cardenæ prop. 1.

Q. 4. *An liceat ſequi opinionem probabilem?* ℞. Ex duabus contradicentibus verè probabilibus opinionibus, quæ verſantur circa actionem humanam in iiſdem circumſtantijs, quisque in praxi ſequi poteſt, quam maluerit, etiam tunc, quando illa, quam ſequi vult, ſpeculativè minùs probabilis, minúsque tuta videtur, niſi aliquid obſtet aliunde. Suar. Tom 5. D. 40. S. 5. n. 6. Azor. Nav. &c. Itèm tunc, quando adeſt formido ne oppoſita à parte rei ſit vera, & quam ſequi vult, falſa. Sanch. l. 1. Mor. c. 9. n. 13. Coninck. Stoz. cit. 107. &c. Ratio eſt: quia opinionem, quæ eſt juxta rectam rationem poteſt unusquisque prudenter ſequi: atqui probabilis opinio eſt juxta rectam rationem; cùm nitatur ratione non modici momenti, vel gravi authoritate; ergo. Accedit, quòd res eſſet admodùm difficilis, & ſcrupulis grandibus obnoxia, ſi quisque deberet ſemper examinare, utra duarum opinionum majore nitatur fundamento. 173

Ubi tamen obſerva, ut honeſtè operetur ſequens opinionem quamcunque probabi- 174

babilem, neceſſarium eſſe, ut certè, & indubitanter judicet, operationem ſibi eſſe verè in circumſtantijs iſtis omnibus conſideratis licitam. Illſung. tr. 1. D. 1. a. 6. §. 5. Ratio eſt: quia cœteroquin vellet operationem ponere, ſive illa honeſta ſit, ſive non ſit; quod inhoneſtum eſt, & peccaminoſum. Cœterùm non obſtat judicium remotum, quo quis judicat opinionem, quam ſequi vult, ob quaſdam non plenè certas rationes à parte rei fallere, & oppoſitam, licèt etiam ob alias pariter incertas ſibi rationes, non fallere; dummodò prudenter judicet utramque certò eſſe probabilem, ac ideò in praxi eſſe licitam. Ex his

175 Colliges 1. licitum eſſe ſequi opinionem probabilem, licèt hæc infimum, & oppoſita ſummum probabilitatis gradum teneat; dummodò verè ſit probabilis. Tann. Stoz cit. 108, citans p. 9. n. 4. Sanchez. l. 1. mor. c. 9. n. 14. &c. Ratio: quia etiam tunc operatio fit ex dictamine prudenti. 2. Licitum etiam eſſe ſequi ſententiam alienam minùs probabilem, & minùs tutam, relictâ propriâ magìs probabili, & tutiore. Ita cit. Sanchez n. 15. Stoz l. 1. p. 5. q. 3. a. 3. n. 112. &c. Ratio eſt: quia & talis agit ex prudenti dictamine judicans alterius etiam ſententiam, eſſe conformem rationi. 3. Licitum pariter eſſe jam hanc, jam oppoſitam ſequi; niſi cum variatione hac occurrat circũſtantia, aut ratio, quæ ſententiam priori, quam ſecutus eſt, oppoſitam reddat improbabilem. 4. Licitum eſſe Confeſſario, uti & alteri

Viro

Viro docto contra ſuam ſententiam probabilem alijs conſulentibus reſpondere; itèm poſſe Confeſſarium judicare ſecundùm opinionem pœnitentis verè probabilem, licèt ipſe judicet eſſe falſam, dummodò cenſeat verè eſſe probabilem, prudenter enim eum cenſet poſſe abſolvi adhærentem opinioni, quæ alijs eſt verè probabilis. Stoz cit. n. 15. & 116. 5. Licitum eſſe (licèt non ſemper tutum ob erroris periculum, quod incidendo in directorem minùs doctum incurri poteſt) ſi unius reſolutio non ſit grata, alium interrogare, donec inveniatur grata reſolutio: Sanchez cit. n. 24. Ratio eſt: quia talis utitur jure ſuo inquirendi in bonum ſibi conveniens.

Q. 5. *Quidnam obſtet, quò minùs quandoque ſequi liceat opinionem probabilem?* 176 ℞. Obſtaculum oriri poſſe vel *ex lege*, vel *ex pacto*; vel *alia circumſtantia*. Sic obſtat famoſa illa lex: *in pari caſu melior eſt conditio poſſidentis.* Unde ſi de jure ad bona quædam pro utraque litigantium parte probabilis ſit opinio, ex probabilitate partis non poſſidentis rapi nequeunt parti poſſidenti. Ut verò agnoſcatur, penes quem ſtet poſſeſſio, obſervandum eſt, pro quo ſtet præſumptio in foro externo; is enim cenſebitur poſſidere. præſumptio autem cenſebitur ſtare pro ea parte, quæ onus probandi in alteram partẽ transfert. In exemplo: probabilem habes opinionem, quòd horologium media nocte 12. ſonuerit, & probabilem, quòd non ſonuerit, hoc caſu po-

tes comedere carnes, ſi nox ſit poſt diem Jovis; non potes, ſi nox ſit poſt diem Sabati. Ratio: quia in primo caſu tibi debet probari, quòd 12am ſonuerit, in altero tibi probatio incumb. Et ſic in priore caſu tu manes in poſſeſſione, in altero manet præceptũ. *Vi pacti*, quod vi officij inijt, non poteſt Judex, cùm videt rationes pro utraque litigantium parte probabbiles, ſequendo opinionem probabilem dare rem, cui libuerit. Laym. l. 1. tr. 1. c. 5. §. 3. n. 16. Sylv. Sotus &c. contra Arriagam, Salonem. &c. Hinc Innoc. XI. meritò damnavit ſequentem propoſitionem n. 2. ex 65. *Probabiliter exiſtimo Judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.* Imò ſi criminalis ſit cauſa, Reo potiùs favendum, ut notat Regula 11. de Reg. Juris. in 6. *Vi pacti taciti* cum patiente etiam Medicus, & Chirurgus, ſequi debent ſententiam probabiliorem, cùm poſſunt, relictâ minùs probabili. Laym. cit. Valentia, Sanchez &c. Si verò duo habeant medicamenta, quæ probabiliter judicant æquè profutura, poſſunt alterutrum adhibere; tunc enim nullatenus agitur contra pactum. Dixi: *quæ probabiter judicant profutura*; nam judicium hoc ſemper adeſſe debet, etiam tunc, cùm in rebus deſperatis velut experimentum applicanda eſt medicina. Vaſq. l. 2. D. 64. c. 4. n. 22. contra Azor. *Vi circumſtantiæ juramenti* v. g. aut voti debet juxta eam ex probabilibus agi, de qua ſequenda juramentũ, vel votũ factum. Ratio eſt: quia aliàs juramento, aut voto contrarie-

Ex quibus colliges 1. Advocatum cauſæ probabilis patrocinium licitè ſuſcipere, etſi contrariam probabiliorem judicet, dumodò de probabilitate majore contrariæ partis ſuum Clientem admoneat. Leſs. l. 2. c. 3. Laym. l. 1. tr. 1. c. 5 §. 3. n. 17. & 18. Ratio eſt: quia ex una parte Advocatus prudenter agit ſententiam probabilem defendendo, & ex alia nulla lex id prohibet. 177

Nec obſtat 1. Tacitum pactum cum Cliente, nè illum in periculum probabile amittendi cauſam conjiciat; quia malo huic occurrit, dum illum de probabilitate majore contrariæ partis admonet. 178

Nec obſtat 2. Quòd in dubijs reo, & poſſeſſori ſit favendum: hoc enim judicem, aut privatum, non verò Advocatum quoad rem ſibi vendicandam concernit, cui Leges ſemper conceſſerunt favere ſuo Clienti omni meliore modo, quo ſinè calumnijs poteſt, atque adeò etiã probabilem cauſam ſui Clientis propugnare. 179

Nec obſtant 3. Expenſæ partis alterius litigantis; quia ad has non præpediendas ſufficientem cauſam dat Clientis cauſæ probabilitas, & ſpes, licèt modica, ut cauſam evincat. Cœterùm peccat Advocatus graviter, ſi videns Clientis cauſam improbabilem ejus patrociniũ ſuſcipiat. Itèm, ſi cauſam, quam initio cenſuit eſſe probabilem, dein videat eſſe falſam, ac improbabilem, & tamen illam urgere continuet, aut tranſactionem cum adverſæ partis damno faciendam ſuadeat. Ratio eſt: quia 180

talem

Digitized by Google

eſt obſervanda. Ità rurſus Laym. cit. n. 25. Nec poteſt ſibi practicè probabilem formare, licere ſibi rem à poſſidente bello extorquere; quia nemini licet alterum à ſua poſſeſſione exturbare, niſi moraliter certus ſit rem ad ſe pertinere. Quòd ſi Rex unus certus foret regnum ad ſe pertinere, quod ab altero poſſidetur, admonendus eſt poſſidens, ut Domino legitimo regnum cedat: ſi renuat, poterit contra ipſum bellum aggredi; tametſi idem poſſidens non agnoſcat rem à ſe injuſtè poſſideri. Ratio eſt: quia quisque vi cogere poteſt injuſtum poſſeſſorem renuentem ad rem jure debitam ſibi reſtituendam. Porrò in caſu probabilitatis fundatæ in facto plerique negant Regem poſſe bellum gerere, ſed debere tunc ad arbitros recurri, quorum ſententiâ ſtabitur.

Q. 6. *An Miniſtro Sacramentorum liceat ſequi opinionem probabilem relicta tutiore?* 182
℞. Cùm opinio probabilis non eſt *de valore* Sacramenti, eſſe licitum eam ſequi; ſecus, ſi ſit *de valore.* Prior pars conſtat ex dictis, altera ex prop. 1. inter 65. ab Innoc. XI. damnitata, cujus verba: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis* (idem eſt de Sacramentis conficiendis, & ſuſcipiendis, ut notat Carden. in Criſi ſuper hac propoſitione) *ſequi opinionē probabilem de valorē Sacramenti, relicta tutiore, niſi vetet lex, conventio, aut periculū gravis damni incurrendi. Hinc*

ſtuſtratione irreverentiam. 2. Extra caſum quoque neceſſitatis licitum eſt ſequi opinionem probabilem, quando periculum invaliditatis tantùm oritur ex conditione per Eccleſiæ ratificationem ſupplebili, vel quando obligatio procurandi majorem certitudinem eſſet plurimis ſcrupulis, vel gravi admodùm difficultati in ſuſcipiendo, aut conferendo Sacramento obnoxia. Unde licitè adminiſtrat Sacerdos Sacramentum cum Juriſdictione probabili *in communi errore.* Licitè etiam contrahitur Matrimonium, quamvìs diſpenſatio, vel abſentia impedimenti dirimentis jure humano non ſit ſemper moraliter certa. Licitè quoque abſolvit Pœnitentem Confeſſarius, quem tantùm probabiliter novit rite diſpoſitum. Illſung. tr. 1. D. 1. a. 7. §. 1.

AR-

8. capita redigit: quorum 1. eſt, ut dum ipſe alteri medetur, non vulneret ſeipſum, id eſt, nè dum pœnitentis animam lucrari ſtudet, ſe, excipiendo præſertim Confeſſiones obſcœnas, in aliquod peccatum conjiciat. 2. Ut per dexteritatem examinandi perducat pœnitentem ad enumerationem omnium criminum. Circa quod Stoz. l. 2. q. 1. a. 3. à n. 19. obſervandum cenſet; nè pœnitens interrogetur de impertinentibus, aut in alterius detractionem cedentibus. Itèm nè interrogetur, niſì de conſuetis, & communiter notis, non verò de inconſuetis, & enormibus, niſì generatim, & à longinquo; nè pœnitens diſcat, quæ ignorat. Itèm nè ſit nimius, & curioſus, ſed ut ſit cautiſſimus, præſertim cùm de peccatis carnalibus eſt ſermo. 3. Ut excitet in pœnitente veram deteſtationem vitæ malè tranſactæ, atque ſerium propoſitum corrigendæ, utpote à quibus tum eſſentia Sacramenti, tum fructus dependet. 4. Ut præſcribat remedia vitijs emendandis opportuna, conſiderata pœnitentis conditione. 5. Ut doceat quidem, ſed non niſì neceſſaria, & valde utilia hic, & nunc; qualia ſunt neceſſaria neceſſitate medij; cognitio doloris, propoſiti, itèm cognitio peccati ignorati, niſì ob magnum v. g. habitum conſiderato ſtatu id à Pœnitente notitiâ acceptâ vix omittendum putaretur. 6. Ut diſpiciat, ſitne abſolutio danda, vel neganda, vel differenda ad

certiorem pœnitentis emendationem: quod fieri quandoque poteſt in materia odiorum, amorum, & injuſtæ detentionis rerum alieni juris. 7. Ut injungat pœnitentiam verè ſalutatem. 8. Ut in promptu habeat, & in memoria nonnullas regulas, & documenta peculiaria, juxta quæ ſui miniſterij functionem dirigat. Fuſiùs hæc proponentur Parte II. De obligatione Confeſſarij.

CAPUT III.

De Approbatione Confeſſarij.

ARTICULUS I.

De Qualitate Appobationis.

186 Q. 1. *Quid ſit Approbatio?* ℞. Approbatio non eſt *gratia*, aut *privilegium*, quod ex libera voluntate concedentis dependet, ſed eſt *authentica declaratio*, *ſeu teſtificatio* perſonam habilem, & dignam eſſe, cui juriſdictio ad Confeſſiones audiendas conferri poſſit. Laym. l. 5. tr. 7. n. 43. cum communi. Ex quo apparet, quòd Approbatio *expreſſa* includat duos actus ex parte approbantis; unum internum, judicium nempe probabile de perſonæ ſcientia, prudentia, &c.

Digitized by Google

&c. alterum externum, ſignum videlicet aliquod judicij illius verbo, vel ſcripto (nihil enim certi præſcriptum eſt) probatum. Stoz. l. 2. q. 2. a. 1. n. 30. Dixi. *expreſſa*; nam in *tacita* (qualis eſſet, ſi legitimo Superiori conſtet hunc, vel illum Sacerdotem liberè excipere in ſua Diœceſi ſinè ſua expreſſa approbatione Confeſſiones, & tamen potens ſe opponere purè diſſimulet) tale ſignum verbo vel ſcripto non ponitur. Idem eſt, ſi Sacerdoti cum annexa cura animarum beneficium conferatur. Laym. cit. loco cit.

Q. 2. *Quomodo Approbatio differat à Jurisdictione* ? ℞. Differentiam inter *Approbationem*, & *Jurisdictionem* eſſe hanc: quòd *Approbatio*, ut ex Q præcedente patet, ſit *tantùm declaratio, & teſtificatio* de aptitudine ſubjecti, ut illi poteſtas abſolvendi, ſeu Jurisdictio conferatur. *Jurisdictio* verò eſt *ipſa poteſtas*. Proinde, ut cit. Gob. loquitur, approbare aliquem eſt declarare illum eſſe dignum, cui à legitimo Superiore poſſint re ipſa, & in actu ſecundo committi ſubditi, in quos exerceat poteſtatem clavium; at dare Jurisdictionem eſt aſſignare ipſi re ipſa ſubditos, in quos prædictam exerceat poteſtatem. Laym. cit. n. 7. Inter *Approbationem*, & *collationem jurisdictionis* hoc diſcrimen aſſignat, quòd *Approbatio* ſit *actus intellectûs*, utpote judicium, ſeu ſententia de capacitate; *traditio* verò *Jurisdictionis* debeat *eſſe actus vo-* 187

I 2 *lun-*

luntatis, quâ ſuperior velit conferre abſolvendi poteſtatem.

188 Ex quibus etiam colliges ordinationem in Sacerdotem differre ab Approbatione, & Juriſdictione; quia per ordinationem non declaratur ordinatus capax, & habilis ad Juriſdictionem exercendam: minùs confertur ipſi *proxima* poteſtas juriſdictionem exercendi.

ARTICULUS II.
De Neceſſitate Approbationis.

189 Q. I. *An ad abſolvendum ſæculares Approbatio ſit omnino neceſſaria?* ℞. Affirmativè. Conſtat ex Trid. ſeſſ. 23. c. 15. de Refor. ubi ſic: *Quamvis Presbyteri in ſua Ordinatione à peccatis abſolvendi poteſtatem* (videlicet remotam) *accipiant; decernit tamen Sancta Synodus, nullum etiam Regularem poſſe Confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur, & Approbationem, quæ gratis detur, obtineat: privilegijs, & conſuetudine quacunque etiam immemorabili non obſtantibus.* Obſerva tamen decretum hoc intel-

telligi de poteſtate extra articulum mortis; nā in mortis articulo abſolvit Sacerdos quivis, etiam excommunicatus, tum licitè, tum validè ſinè ſpeciali Approbatione.

Q. 2. *An Approbatio ſit ad abſolvendum ſit neceſſaria, ut ex defectu illius abſolutio ſit invalida?* ℞. Probabilem quidem eſſe ſententiam, negantem: quam Stoz. ſuprà cit. n. 32. cum alijs tuetur, cenſens, verba Concilij continere duntaxat ſenſum prohibitivum, ac proinde Approbationem duntaxat neceſſariam eſſe *ad licitam abſolutionem*; probabilior tamen videtur, & tutior oppoſita, quam ſequitur Suar. tom. 4. D. 28. S. 4. n. 9. La Croix l. 6. p. 2. n. 1487. Coninck de Sacram. D. 8. dub. 7. n. 49. cum alijs admodùm multis. Ratio eſt ex verbis Concilij: *nullum poſſe Confeſſiones audire*; quia per ly *non poſſe* antonomaſticè indicatur defectus potentiæ, ut fusè oſtendit Sanchez de Matr. l. 6. D. 38. n. 20. Quod ipſum etiam expreſsè declaravit Congregatio Cardinalium teſte Coninck; & teſte La Croix multi Pontifices ſtatuerunt. Nec obſtat, quòd terminus iſte: *non poſſe*, non ſemper ſit irritatorius: licèt enim id verum ſit; cùm tamen etiam frequentiſſimè irritatorius ſit, cur eum hìc de re graviſſima, ex qua pendet valor Sacramenti, ut loquitur cit. Suar. non irritatorium dicamus, præſertim cùm Concilium poſt verba: *non poſſe Confeſſiones audire*, addat: *neque idoneum reputari.* 190

Digitized by Google

191 Q. 3. *An etiam ad Regulares abſolvendos ex mente Concilij neceſſaria ſit Approbatio?* ℞. Negativè. Ità Suarez. D. 28. S. 4. n. 5. Laym. l. 4. tr. 6. c. 11. n. 1. cum communi. Unde Regulares confiteri poſſunt cuicunque Sacerdoti, quem Prælatus ipſis ſecundùm Ordinis ſtatuta conſtituerit; tametſi ab Epiſcopo approbatus non ſit. Ratio eſt: quia ante Conc. Trid. poterant Regulares tali confiteri; cùm ergo in dicto Decreto nulla fiat mentio de eorum Confeſſionibus, ſatìs colligitur Concilium nihil voluiſſe circa illos novare, ſed eos curæ, & vigilantiæ Prælatorum permittere.

192 Q. 4. *An ad abſolvendas Moniales etiam Sacerdotibus Regularium neceſſaria ſit Approbatio?* ℞. Affirmativè. Stoz. cit. n. 33. La. Croix. l. 6. p. 2. n. 1528. &c. idque ſive *ordinariè*, ſive *extraordinariè*; itèm ſive *non exemptæ*, ſive *exemptæ*, à Jurisdictione Epiſcopi in Monaſterijs (nam peregrinas quilibet ad earum Confeſſiones non deputatus audire poteſt conformiter juri antiquo, quod expreſsè revocatum non eſt) ſint abſolvendæ. Conſtat hoc ex Greg. XV. Conſtit. quæ incipit. *Inſcrutabili*, ubi ſic: *Confeſſores verò ſive Regulares, ſive ſæculares quomodocunque exempti, tam ordinarij, quàm extraordinarij ad Confeſſiones Monialium etiam Regularibus ſubjectarum audiendas nullatenus deputari valeant, niſi priùs ab Epiſcopo Diœceſano idonei judicentur, & Approbationem, quæ gratìs concedatur, obtineant.* Ubi La Croix cit. n. 1528. notat Conſtitutioně hanc

quo-

quoad punctum de Monialibus pro Regnis Hiſpaniæ, conſequenter (pro quo citat Platelium) in Belgio non eſſe receptam, ſed ab Urbano VIII. teſte Lezana eſſe ſuſpenſam; nec Conſtitutionem Clementis X. quidquam circa hoc innovâſſe; an verò alibi ubique receptæ ſint, dubitari. Ex quibus ſequitur, Regulares, & ſæculares omnes, ubi Bulla recepta eſt, ſpecialiter approbari pro audiendis Monialibus debere; niſì fortè poſt Bullam nova quibusdam Pontificia voluntas ſuffragaretur. Porrò ut quis *ſpecialiter* ad Moniales approbatus cenſeatur, non ſatìs eſt 1. *Generaliter* approbatum eſſe *ad omnes Chriſti fideles*; quamvis Epiſcopus non exceperit Moniales. 2. Pariter non ſatìs eſt: eſſe approbatum pro uno Monaſterio, ut audiantur Confeſſiones earum in Monaſterio alio. 3. Denique non ſatìs eſt: eſſe approbatum pro una vice, ut poſſit eas audire vice alia. Quæ omnia clarè exprimuntur in Conſtit. Clem. X. quæ incipit. *Suprema magni Patrisfamilias.* Inſuper ut audiri poſſint exemptæ, præter approbationem Epiſcopi requiritur licentia Superioris Ordinis, in quo ſunt exemptæ. Ratio eſt: quia id Ordinum talium privilegium eſt, ut ſubditæ confiteri non poſſint, niſì Confeſſario à Superiore deſignato. Platel. P. 5. c. 6. §. 8. n. 886. La Croix. cit. n. 1532. &c.

Q. 5. *An etiam ad audienda peccata venialia (idẽ eſt de mortalibus Confeſſione jam expiatis)* 193

tis) requiratur Approbatio? ℞. Affirmativè. Conſtat ex decreto Innoc. XI. De Communione quotidiana; ubi præceptum ſtatuit Ordinariis: *Non permittant, ut venialium Confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti non approbato.* Proinde licèt poteſtas abſolvendi ab illis communiter tribuatur in Ordinatione omni Sacerdoti; per decretum tamen Inn. XI. hæc ſublata eſt. Platel. cit. n. 891. An verò ſic penitus ablata ſit, ut abſolutio ſit omnino invalida; an ſic tantùm, ut reddatur illicita, variant Authores. Probabilior eſt negativa: quia particula: *non permittant*, videtur ſolùm prohibitiva; per prohibitionem autem puram non irritatur abſolutio.

194 Q. 6. *Cur modò requiratur ſpecialis Approbatio, cùm primis ſæculis non fuerit requiſita?* ℞. Primis ſæculis ideò non fuiſſe requiſitam; quia nimia erat Sacerdotum paucitas. Unde tunc quilibet Sacerdos habita *univerſali* Jurisdictione quemlibet Chriſti fidelem abſolvere poterat; nunc verò aucta Sacerdotum multitudine, ut fidelium bono de Miniſtris bonis, ac idoneis proſpiceret Eccleſia, prohibuit abſolutionem, mortis articulo excepto, non habita approbatione. Platel. ſuprà cit. n. 889.

195 Q. 7. *An Theologiæ Licentiati? itèm Doctores Juris Canonici ipſo jure approbentur?* ℞. Cum Laym. cit. n. 2. Stoz. cit. n. 32. Dian. &c. Negativè. Patet ex terminis Concilij: *ut nullus Sacerdos.* Et ratio eſt: quia non rarò in ſpeculativis eruditiſſimi, in practicis ſunt

ſunt ignorantes; vel ſi ea didicerunt, judicij, ac prudentiæ defectu laborant. Quòd ſi tamen debita præſumptio habeatur de eorum idoneitate, æquitatis ratio poſtulat, ut Laym. cit. loquitur, ne examini novo ſubjiciantur. Quod innuere videtur Concilium per verba: *niſi ab Epiſcopis per examina, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur &c.*

ARTICULUS III.
De Petitione, & Conceſſione Approbationis.

Q. 1. *A quo petenda ſit Approbatio?* 196
℟. Ab Epiſcopo. Conſtat ex verbis Concilij modò, & ſuprà adductis. Ubi obſerva 1. Nomine *Epiſcopi* intelligi Epiſcopum, qui non ſit tantùm electus, ſed etiam confirmatus. Suar. tom. 4. d. 28. S. 5. n. 8. La Croix l. 5. p. 1. n. 1495. 2. Eodem nomine etiam intelligi Prælatos habentes Jurisdictionem quaſi Epiſcopalem in ſæculares, ut fusè probat Gobat. tr. 7. n. 47. Itèm Capitulum ſede vacante; ad hoc enim tunc tota Epiſcopalis Jurisdictio præter paucos quosdam caſus à jure ſpecialiter exceptos devolvitur. Stoz. cit. n. 34. cum Suarez tom. 4. D. 28. S.

 5.

5. n. 2. 3. Non requiri, ut Epiſcopus per ſe approbet, ſed omnino ſufficere, ſi id faciat per alium v. g. ſuum Vicarium Generalem, aut cuicunque commiſerit. Ità rurſus Suar. & Stoz. cit. l. cit.

197 Q. 2. *An etiam Provinciales, & Generales Ordinum Religioſorum ſubditis conferre poſſint Approbationem reſpectu ſæcularium?* ℞. Negativè. Ita Suar. cit. n. 4. Et conſtat ex verbis Concilij, *nullum etiam Regularem poſſe &c.* Unde, licèt Prælati Religionum poſſint ſuos ſubditos exponere, & approbare ad Confeſſiones ſuorum Religioſorum audiendas, eò quòd Concilium de Confeſſionibus, & Confeſſarijs Religioſorum nihil ſtatuerit; non poſſunt tamen eos approbare pro Confeſſionibus ſæcularium excipiendis, tametſi Sacerdotum, & in privatis domibus. Excipe ſæculares de familia, qui continui ſunt commenſales, non qui tantùm deſerviunt, ut expreſsè habetur in Concilij declaratione.

198 Q. 3. *A quo Epiſcopo petenda ſit Approbatio? an ab Epiſcopo Confeſſarij? an ab Epiſcopo pœnitentis?* ℞. Peti debere tum ab Epiſcopo Confeſſarij, ſi in ſua Diœceſi Confeſſiones audire velit, tum ab Epiſcopo pœnitentis, ſi pœnitentem ex alia diœceſi audire paret.

199 Excipe 1. niſì Sacerdos hic ſit Regularis privilegiatus, Regulares enim privilegiati accipientes à Pontifice Juriſdictionem in omnes Chriſti fideles, ſuppoſito, quòd ſint approbati ab Epiſcopo loci, in quo audiunt Confeſſiones,

ſiones, poſſunt validè abſolvere pœnitentes ex altera Diœceſi illuc venientes; quod facere non poſſent, ſi deberent eſſe approbati ab Epiſcopo pœnitentis. Quo privilegio caret Sacerdos ſæcularis, uti & Regularis non privilegiatus: cùm nullam habeant Jurisdictionem ſinè Approbatione, & Jurisdictione ab Epiſcopo pœnitentis obtenta. Platel cit. n. 867. & n. 868.

Excipe 2. niſì ſubditus ſit verè peregrinus; 200
talis enim jure communi ſit velut ſubditus Epiſcopi loci, in quo peregrinatur.

Excipe 3. niſì prout fert conſuetudo circa li- 201
mites duarum, vel plurium Diœceſium, ubi Confeſſarij Diœceſis unius audire poſſunt Confeſſiones in altera diœceſi, ad quas in ſolennitatibus invitari ſolent, Epiſcopo loci tacitè approbationem, & Jurisdictionem conferente. Quæ ſi etiam pro alijs caſibus habeatur, valida, & licita eſt abſolutio ſubditi alieni. Porrò qui dicunt à ſolo Epiſcopo loci petendam eſſe, ajunt, tunc, cùm Sacerdos in alia Diœceſi commoratur, & Approbationem petit ab Epiſcopo illius Diœceſis ſe ſubjicere in hoc puncto illi Epiſcopo, ac ità petere ab Epiſcopo ſuo. Quo reſpondetur etiam ad illam Q. *An Epiſcopus poſſit approbare ſubditum non ſuum?*

Q. 4. *A quo petenda ſit Approbatio, cùm* 202
approbandus plures habet Epiſcopos, unum videlicet ratione beneficij, alterum ratione domicilij, tertium ratione originis? ℞. Quemlibet à quolibet horum Epiſcoporum approbari

ri poſſe. Ità Stoz n. 36. citans pro hac ſententia Henriquez, & Fagund. Rationem dat: quia, licèt Approbatio ſit actus Jurisdictionis. nón eſt tamen illius, quam contentioſam vocant, ſed voluntariæ, cui quiſque in favorabilibus ſubjicere ſe poteſt, licèt aliàs non ſit ſubditus.

204 Q. 5 *An approbatus ab uno Epiſcopo cenſendus ſit approbatus pro tota Eccleſia?* ℞. Negativè. Platel. P. 5. c. 6. §. 8. n. 871. Laym. cit. n. 1. Licet contrarium docuerint non pauci ante damnationem ſequentis propoſitionis ab Alex. VII. in Brevi ad Epiſcopum Andegavens: 2. Jan. 1659. factam: *Regulares Ordinum mendicantium ſemel approbati ab uno Epiſcopo ad Confeſſiones audiendas in ſua diœceſi, habentur pro approbatis in alijs diœceſibus, nec nova Epiſcoporum indigent Approbatione.* Conſtat etiam ex Conſtit. Clem. X. & colligitur ex verbis Trident. quod approbationem requirit *ab Epiſcopis.*

205 Q. 6. *An ad hoc, ut quis approbatus cenſeatur, ſufficiat Approbationem petere, tametſi non obtineat?* ℞. Negativè. Conſtat ex verbis Trid. cit. *Et Approbationem, quæ gratis detur, obtineant.* Proinde etiam Regulares Mendicantes, tametſi injuſte rejecti, Confeſſiones ſæcularium excipere nequeunt. Suar. tom. 4. D. 28. S. 5. n. 13. Rationem dat ex verbis Concilij: *nullus Sacerdos Sæcularis, vel Rẽgularis,* &: *non obſtantibus quibuscunque privilegijs.* Colligitur etiam ex damnata ab Alex. VII. propos.

n;

Digitized by Google

n. 13. inter 45. *Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato.* Licèt enim decretum loquatur ſolùm de annua Paſchali Confeſſione, facta Religioſo non approbato; ob paritatem tamen rationis applicari etiam cenſendum eſt alijs Confeſſionibus.

Q. 6. *An peccet Epiſcopus, Sacerdotibus dignis, & idoneis, Approbationem ſinè juſta cauſa denegando?* ℞. Affirmativè. Ita Laym. l. 5. tr. 6. c. 11. n. 3. Coninck. D. 8. dub. 7. n. 59. Rationem dat Laym. quia Approbatio non eſt gratia, ſive privilegium, quod ex libera voluntate concedentis dependet: ſed eſt authentica declaratio, ſeu teſtificatio, perſonam habilem, & dignam eſſe, cui Jurisdictio ad Confeſſiones audiendas conferri poſſit; hujusmodi autem teſtimonium Sacerdotibus, ad id ordinatis, ſi ſcientiâ, & prudentiâ inſtructi ſint, jure debetur. Non admittendo tamen ad examen non peccat. La Croix l. 6. p. 2. n. 1491. Laym. cit. 206

Q. 8. *An Approbatio fieri poſſit limitatè ad tempus certum, ad locum certum, ad perſonas certas &c.* ℞. Affirmativè, ſi adſit juſta cauſa. Ratio eſt: quia poteſt quis idoneus eſſe pro aliqua circumſtantia, non pro omnibus. Si verò juſta cauſa deſit, licitè ſic dari non poteſt. Ratio eſt: quia Approbatio non datur per modum gratiæ, ſed juſtitiæ ſaltèm præmiſſo examine, 207

Digitized by Google

ne. Platel. ſuprà cit. n. 874. Decernit id ipſum Conſtit. Clem. X. his verbis: *Illos autem Religioſos, qui ad Confeſſiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Epiſcopo generaliter quoque, & indiſtinctè absque limitatione temporis, certorúmque locorum, aut generis perſonarum in Diœceſi propria admittendos. Quoad cœteros verò, qui non adeò idonei reperiuntur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipſos cum limitata facultate, prout ijsdem Ordinarijs magis expedire videbitur approbare, & admittere.* Porrò juſtæ cauſæ approbandi tantùm ad tempus ſunt 1. ſi nunc ſit neceſſitas habendi plures Confeſſarios, quæ poſteà ceſſat. 2. Si pro nunc quidem approbandus habeat ſufficientem ſcientiam, ſed meritò deſideretur major ad Approbationem perpetuam. 3. Si prudenter timeatur, nè habitâ ſemel perpetuâ approbatione negligat ſtudium. 4. Si probandus judicetur, an principia generalia bene applicet in praxi, vel an non ſit fortè heteroclytus, nimiùm laxus, vel rigidus. Ità La Croix cit. n. 1493.

207 Q. 9. *An Approbatio ſemel data ſemper duret?* ℞. *Limitata* Approbatio deſinit deſinente circumſtantia, ad quam limitata eſt. *Illimitata* verò durat etiam poſt mortem concedentis, nec revocari poteſt, niſì juſta cauſa ſuperveniente, & quidem juridicè probatâ; alioquin revocatio eſt invalida, juxta cap. *accepimus* de ætate & qualit. ordinand. quia

per

per approbationem jus verum eſt acquiſitum, quo nemo ſinè juſta cauſa privari poteſt. Suar. Tom. 4. D. 28. S. 8. n. 3. Coninck cit. n. 59. Stoz. l. 2. q. 2. a. 2. n. 39. Laym. l. 5. tr. 6. c. 11. n. 6. contra Platel. c. 6. §. 8. n. 879. Porrò juſta cauſa revocandi eſt accedens malitia, aut negligentia approbati; itèm error, quo quis inter dignos approbatus eſt. Suarez. cit. n. 6. Quibus cauſis ſupervenientibus vocari poteſt approbatus ad examen, & ſi pro futuro non obſtituræ judicentur, denuo approbari, non tantùm ſæcularis, ſed & Regularis. Lugo D. 21. S. 2. n. 29. apud Stoz. cit. In dubio de cauſæ ſufficientia ſtat præſumptio pro Epiſcopo, qui multa novit, quæ ſubditos latent, nec expedit manifeſtare. Platel. cit. n. 878.

Q. 10. *An Parocho, beneficio amiſſo, denuo ſit petenda Approbatio?* ℞. Quamvis Parochus ratione beneficij approbatus poſſit in tota Diœceſi, ſi placeat alijs Parochis, audire Confeſſiones; quàm primùm tamen deſinit eſſe Parochus, etiam deſinit ejus Approbatio ſic, ut nè tem quidẽ tempore Jubilæi poſſit ſinè nova approbatione audire pœnitentes. Gob. tr. 7. n. 45. *Parochiale* autẽ *beneficium* illi habere cenſentur, qui ratione hujus primariò habent curam animarum reſpectu ſæcularium. Tale habent Parochi antonomaſticè dicti, licèt ſint Regulares; itèm Epiſcopi etiam Titulares, Vicarij Generales in Spiritualibus; non verò Abbates non habentes Juriſdictionem Epiſcopalem, Rectores, Guardiani, aut quocunque 208

nomi-

Digitized by Google

nomine Superiores; Parochiale enim beneficium reſpicit ſubditos ſæculares. Ità rurſus Gobat. n. 46.

209 Q. 11. *An, ſi talis petat approbari, denuo approbatio fieri debeat prævio examine?* ℞. Affirmativè, ſi de idoneitate non conſtet; ſi verò prudenter idoneitas ſupponatur, fieri poteſt citra examen. Liquet hoc ex verbis Concilij: *nisì -- per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur* &c.

210 Q. 12. *An approbatus alteri non approbato Approbationem poſſit delegare?* ℞. Negativè. Quia approbare ſolius eſt Epiſcopi, ut clarum eſt ex Concilio. Unde quamvìs Parochi poſſint Sacerdoti ſimplici non approbato delegare Jurisdictionem adminiſtrandi reliqua Sacramenta; non poſſunt tamen approbare, aut delegare Approbationem ad Confeſſiones audiendas. Ratio ulterior eſt: quia cùm de Jurisdictione agitur Conc. Seſſ 14. c. 7. meminit *ſubdeligatæ* Jurisdictionis; hìc verò ſimpliciter ait, Approbationem pertinere ad Epiſcopos.

CAPUT

CAPUT IV.

De Juriſdictione Confeſſarij.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex ſit Juriſdictio Confeſſarij?

Q. 1. *Quid ſit Juriſdictio?* ℞. *Univerſali-* 211
ter loquendo Juriſdictio duplex eſt, una *temporalis*, ſeu *ſæcularis* ad temporale bonum ordinata, qualis eſt civilis Regum, Principum, & Rerum publicarum. Altera eſt *Spiritualis*, qualis eſt in Papa, & alijs Eccleſiaſticis curam animarum gerentibus ad harum ſalutem directa. Hæc *ſpiritualis* ſubdividitur in eam, quæ eſt *in foro externo*, in quo definiuntur cauſæ, quæ inter ipſos ſubditos controvertuntur, adeoque eſt poteſtas judicandi inter hominem, & hominem cum vi coactiva; quapropter etiam *gladius* dicitur: & in eam, quæ eſt *in foro interno*, & *pœnitentiali*, in quo definiuntur cauſæ inter hominem offendentem, & DEUM offenſum, adeoque eſt poteſtas jus dicendi, ſeu judicandi reum hominem judicando de gravitate, & multitudine peccatorum, eum abſolvendo, ac ſatisfactionem congruam illi injungendo. Et quia hæc non fiunt circa invitum, poteſtas illa judicandi *clavis*, licèt *impropriè* nuncupatur. Regin. l. 1. c. 2. n. 11. 12. & l. 14. Turrecrem. l.

de Eccleſia c. 87. & ſeq. apud eundem cum communi. Hæc itaque poſtrema Juriſdictio, quam unicè habet Confeſſarius, breviter deſcribi poteſt ſic : *eſt poteſtas judicialis ligandi, & ſolvendi pœnitentem ſubditum ſibi confeſſum*. Dico : *ſubditum* : quia omnis juriſdictio ſubditos requirit ; ergo & hæc : Itèm quia *ligare* & *ſolvere* ſunt actus judiciales conformiter inſtitutioni Chriſti ; actus verò judiciales poteſtatem in ſubditum præexigunt. Stoz. l. 2. q. 2. a. 2. n. 41. cum communi.

212 Q. 2. *Quomodo poteſtas Juriſdictionis differat à poteſtate Ordinis, quam Sacerdotes in Ordinatione accipiunt, dum illis dicitur : quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.* ℞. Differentiam inter has duas poteſtates eſſe hanc : quòd poteſtas Ordinis ſit *poteſtas* tantùm *incompleta, remota, non expedita* ; poteſtas verò Juriſdictionis illam *compleat*, & *proximè expeditam faciat*. Platel. P. 5. c. 6. §. 8. n. 887. Coninck D. 8. dub. 2. n. 43. Unde quemadmodum Stoz. cit. loquitur, poteſtas Ordinis eſt ſolùm quædam habilitas, & capacitas, quâ Ordinati poſſunt ſupervenienteJuriſdictione abſolvere illos, qui ad ipſos veniunt. Sicut Doctor, aut Licentiatus Juris vi gradûs, & doctrinæ ſuæ non habet Juriſdictionem cauſas validè decidendi, ſed ſolam capacitatem. Ex quo ulteriùs ſequitur Sacerdotes ordinatos vi verborum : *quorum remiſeritis* &c. Eſſe quidem à Chriſto inſtitutos Judices, ſed *in actu primo tantùm*,

&

& remotè ſinè ulla ſubditorum deſignatione; per Juriſdictionem verò fieri ex eadem Chriſti mente Judices *in actu ſecundo, & proximè*, cum ſubditorum deſignatione. Platel. n. 888. Coninck l. cit. La Croix. l. 6. p. 2. n. 1549. ſequentes affert differentias. 1. Quia Juriſdictio poteſt auferri. Non poſſet autem auferri, etiam ſubditos tantùm denegando, ſi Sacerdotes in Ordinatione Juriſdictionem à Chriſto acciperent; quia acciperent ſuperioritatem in omnes fideles. 2. Quia ſicut poteſtas Juriſdictionis invenitur in Parocho non Sacerdote, ſinè poteſtate Ordinis, ſic poteſtas Ordinis eſſe poteſt ſinè poteſtate Juriſdictionis. 3. Quia poteſtas Ordinis conſiſtit in charactere ipſo, poteſtas autem Juriſdictionis in deputatione extrinſeca Eccleſiæ, ſeu collatione cujuſdam ſuperioritatis in ordine ad uſum clavium circa ſubditos.

Q. 3. *Quotuplex ſit Juriſdictio Confeſſarij?* ℞. Cum communi eſſe duplicem, aliam *ordinariam*, quæ alicui competit ratione officij, quo fungitur, v. g. officij Parochialis, & confertur hoc ipſo, quòd ipſi officium, cui eſt annexa, committatur tanquam proprium; aliam *delegatam*, quam quis habet vi conceſſionis factæ ab eo, qui ordinariam habet. Quæ quidem conceſſio fieri poteſt *directè*, vel *indirectè*. *Directè* tunc fit, quando immediatè Sacer- 213

doti tribuitur Juriſdictio. *Indirectè* tunc, quando ipſe Superior tribuit quidem Sacerdoti Juriſdictionem, ſed mediante deſignatione facta à pœnitente, qui facultatem habet Confeſſarium ſibi eligendi. Utraque autem, ſicut approbatio, poteſt eſſe *limitata*, Gob. tr. 7. n. 70.

214 Q. 4. *Quinam habeant Juriſdictionem Ordinariam?* ℞. Cum Platel. cit. n. 883. cui in plurimis aſſignandis concordant Stoz. cit. n. 44. Laym. l. 5. tr. 6. c. 10. n. 3. & alij paſſim. 1. illam habet ſummus Pontifex in omnes Chriſti fideles, & juxta Stoz ſummus Pœnitentiarius. 2. Legati à Latere, & Nuntij Apoſtolici intra terminos ſuæ Nuntiaturæ. 3. Archi-Epiſcopi in ſubditos ſuorum ſuffraganeorum tempore viſitationis, non aliàs. 4. Epiſcopi intra ſuas Diœceſes, uti & Vicarij eorum, & Capitulum Sede vacante. 5. Abbates Juriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes intra terminos ſuæ Juriſdictionis. 6. Generales Ordinum reſpectu totius Religionis, & Provinciales reſpectu ſuæ Provinciæ, Superiores locales reſpectu domeſticorum. 7. Parochi reſpectu ſuæ Parochiæ, uti & eorum Vicarij, ſive perpetui, ſive temporales. 8. Decanus Canonicorum reſpectu Capituli.

215 Q. 5. *Qui habeant Juriſdictionem delegatam?* ℞. Id colligi ex dictis, videlicet omnes illos habere Juriſdictionem delegatam, quibus legitimè conceſſa eſt ab habentibus or-

Digitized by Google

ordinariam. Quæ quidem delegatio, ut *validè* fiat, debet is, cui delegatur, eſſe Sacerdos; quia, ut ex ſuprà dictis conſtat, eſſentiale Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ requiſitum eſt Sacerdotium. 2. Ut delegans Jurisdictionem non concedat, niſi in ſuos ſubditos; quia ipſius ordinaria poteſtas ſe non extendit in ſubditos alienos. 3. Ut, cui delegatur, ſit ab Epiſcopo approbatus; niſi delegans ipſe jure approbandi gaudeat. Ratio eſt: quia ex dictis de Approbatione conſtat, Approbationem ad munus Confeſſarij ſaltem pro mortalibus eſſentialiter requiri. Hinc colliges Parochum ſinè jure approbandi Jurisdictionem Sacerdoti ſimplici delegare non poſſe. Quòd ſi delegans jure approbandi gaudeat, hoc ipſo, quòd Jurisdictionem deleget, eum, cui delegat, etiam approbat. Platel. cit. n. 884.

Circa quod adhuc obſervandum 1. Religioſos Mendicantes legitimè approbatos habere jurisdictionem in omnes Chriſti fideles, pro quibus approbati ſunt. Ratio eſt: quia accedente ſuperiorum ſuorum conſenſu, & expoſitione, jurisdictionem ſuam accipiunt à Papa, cui omnes fideles ſubditi ſunt. Gob. tr. 7. n. 99. Laym. l. 5. tr. 6. c. 10. n. 19. 2dò. Etiam à Vicario Parochi quoad univerſitatem cauſarum, ſeu ad totum officium Parochi obeundum aſſumpo, delegatam 216

Juriſdictionem haberi poſſe; talis enim ex ſuppoſito fungitur officio, conſequenter cenſetur habere Juriſdictionem quaſi ordinariam. Laym. cit. n. 131. Stoz. L. 2. q. 2. a. 2. n. 48. Hæc tamen delegata Juriſdictio, ut bene notat idem Stoz. non eſt adeo generalis, ut eſt ipſius Vicarij, ſed tantùm pro facti contingentia in caſibus particularibus; niſì aliud rationabiliter præſumi poſſit de mente primi delegantis, vel recepta conſuetudo aliud ferat. Vi cujus præſumptionis etiam temporalis Vicarius alicujus Parochiæ poteſt quandoque alteri Sacerdoti ſubdelegare generaliter certam partem Juriſdictionis Parochialis v. g. ad audiendas Confeſſiones, imò vi conſuetudinis poteſt quandoque etiam totum ſuum officium ad breve tempus, quo ipſe abeſt, vel impeditus eſt, alteri committere. Ità cit. Stoz. Occaſione hujus

217 Q. 6. *An alij habentes delegatam Juriſdictionem alteri poſſint Juriſdictionem ſubdelegare?* ℞. Idem, quòd de Vicario Parochi dictum, etiam intelligendum eſſe de eo, qui delegatam habet ad dignitatem, vel officium proprium obeundum, cui Juriſdictio ordinaria eſt annexa. Eadem enim utrobique eſt ratio. Cœterùm delegatus præcisè ad exercitium miniſtrandi hoc Sacramentum delegare non poteſt. Gob. cit. n. 100. Laym. cit. n. 12. Stoz. cit. l. cit. Hinc 1. Capellanus non agens Vicarium Parochi Juriſdictionem alteri delegare non poteſt.

Digitized by Google

teſt. Neque Religioſi Mendicantes, licèt Jurisdictionem habeant in omnes Chriſti fideles, validè eam delegant; niſi ad hoc ipſum ſpeciale habeant privilegium Pontificium, de quo Gob. à n. 103.

Porrò pro delegando Jurisdictionem nulla 218 requiritur certa formula, ſed ſufficit quodcunque ſignum externum, quo voluntas delegantis ſufficienter manifeſtatur, ſive id fiat verbis, id eſt, *explicitè*, ſive committendo officium, id eſt, *implicitè.* Imò ſufficit quandoque etiam taciturnitas, ſi delegans ſciat alterum velle exercere Jurisdictionem, nec contradicat, cùm poteſt, nullo metu, & verecundiâ prohibente. Stoz. cit. n. 50 Ubi etiam obſervat talem ratihabitionem debere eſſe *de præſenti*, non de futuro conſenſu; quia pro exercendo actu Jurisdictionis actualis poteſtas Jurisdictionis requiritur, ſinè qua Sacramentum eſt nullum.

ARTICULUS II.

Quæ ſit Neceſſitas Jurisdictionis?

Q. 1. *An alterutra Jurisdictio neceſſaria ſit ad validè Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrandum?* ℟. Affirmativè. 219 Conſtat ex Trid. de S. Pœnit. Sacr. Seſſ. 14. c. 7. ubi ſic. *Quoniam igitur natura, & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos duntaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia DEI fuit, & veriſſimum eſſe Synodus*

dus hac confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet Juriſdictionem.

220 Q. 2. *An Juriſdictio ſic requiſita ſemper debeat eſſe certa? an verò etiam ſufficiat probabilis?* ℞. Quoad primum Affirmativè, quoad alterum Negativè. Conſtat ex 1. Propoſitione inter 65. ab Innoc. XI. damnata. Ratio eſt: quia cum tali Juriſdictione exponitur Sacramentum periculo nullitatis, & pœnitens periculo gravis damni ex Sacramenti nullitate conſecuti. Ex quo ſequitur, abſolventem cum tali Juriſdictione ob datam rationem mortaliter peccare: validè tamen abſolveret tunc, quando probabilitati vera ſubeſt Juriſdictio. Secùs, ſi reverà abſit. In caſu tamen neceſſitatis, dummodò Sacerdos ſit, nec alius Confeſſarius Juriſdictione præditus haberi poſſit, & licitè, & validè abſolveret. Coninck D. 8. dub. 5. n. 31. cum communi. Proinde ad licitam adminiſtrationem requiritur *ſaltèm moralis certitudo* de Juriſdictione. Ità idem n. 42.

221 Q. 3. *An validè abſolvat, qui creditur legitimam habere juriſdictionem?* R. Affirmativè, ſi duæ adſint conditiones, quarum prima eſt: ſi id credatur *communi errore*; ſecunda, ſi communi errori occaſionem dederit *titulus coloratus*, qualis eſt collatio beneficij, habentis annexam curam, aut delegatio Juriſdictionis apparenter legi-

Digitized by Google

legitima; quæ tamen collatio, & delegatio ſit invalida propter occultum defectum, v g. occultam Simoniam, aut excommunicationem. Platel. P. 5. c. 6. §. 8. n. 895. Ratio eſt: quia tunc defectum cenſetur ſupplere Eccleſia, & dare pro tali caſu Confeſſario ſaltèm tranſeunter Jurisdictionem in commune animarum bonum. E contra ſi *error* tantùm ſit *privatus* unius, vel alterius, *invalidè* fit abſolutio: quia tunc cenſendum non eſt ab Eccleſia defectum ſuppleri, cùm collatio Jurisdictionis non ſit in commune animarum bonum. Idem eſt, ſi communi errori occaſionem non dedit titulus coloratus. Ità cit. Platel. Rationem dat: quia cùm Eccleſia nulla tituli collatione dederit occaſionem communi errori, non videtur ſufficiens ratio aſſerendi, quòd tunc ſuppleat occultum Jurisdictionis defectum. Proinde ſacerdos abſque titulo colorato ſe exponens ad audiendas Confeſſiones, tametſi communi errore putetur habere Jurisdictionem, *invalidè* abſolvit. Oppoſitum tamen etiam tuentur multi præclari Authores, inter quos Gob. tr. 7. n. 109. Joannes Sanchez, Diana, &c. apud eundem.

Q. 4. *An ad validam abſolutionem ſufficiat Jurisdictio petita non obtenta?* ℞. Negativè. Conſtat ex cap. *omnis utriuſque ſexûs* de pœn. & rem. ubi ſic: *Si quis alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſa ſua confiteri peccata, licen-* 222

licentiam priùs poſtulet, & obtineat à proprio Sacerdote. Ex quo colligitur, jurisdionem petitam, & non obtentam, ſufficientem non eſſe, tametſi injuſtè ſit denegata.

ARTICULUS III.

Quomodo acquiratur Jurisdictio?

123 Q. 1. *Quot modis Iurisdictio acquiratur?* R. tribus, videlicet, *à jure, à conſuetudine, ab homine.* Gob. tr. 7. n. 74. cum communi. *A jure* habent Jurisdictionem omnes, illi quibus eam jus ſcriptum impertitur; quales ſunt omnes Ordinariam Jurisdictionem obtinentes reſpectu ſuorum ſubditorum. *A conſuetudine*, accedente nimirum tacito conſenſu Superioris ſcientis, & tacentis, habent 1. Cardinales ad ſuorum familiarium Confeſſiones excipiendas. 2. Sacellanus Imperatoris ad excipiendam Confeſſionem Imperatoris. 3. Quivis Sacerdos approbatus ad abſolvendum quemvis Sacerdotem Regularem. 4. Quivis Parochus, & multò magìs Sæcularis expoſitus (non autem alius, qui in eo loco nullam Jurisdictionem habet) ad cujuſvis vagabundi, & peregrini (ſive is devotionis, ſive mercaturæ cauſâ peregrinetur) in ejus Parochia, ſeu territorio exiſtentis Confeſſionem excipiendam, ídque non ſolùm tem-

Digitized by Google

tempore Præcepti, ſed etiam aliàs, dummodò peregrinatio non fiat in fraudem ad vitandum proprium Parochum. Ità Gob. tr. 7. n. 82. & 83. cum Tanner, Bonac. &c. Proinde Parochianus *validè*, & *licitè* confitetur in aliena Parochia etiam vicina, cùm ibi indulgentiæ habentur; niſi manifeſtè conſtet Parochum talem Confeſſionem ratam non habere. Ratio: quia hæc praxis liquet ex conſuetudine Superioribus ſcientibus, & tacentibus, conſenſum præſtantibus, ſine quo, ùt bene obſervat idem Gobât, nulla conſuetudine induci poteſt, ut quis ſibi Confeſſorem eligere valeat. *Ab Homine* Jurisdictionem habet, qui ſinè ſcripto, aut conſuetudinario jure accipit illam per delegationem alicujus Ordinarij Paſtoris, ídque ſive *explicitè*, & *directè*, ſive *indirectè*, aut *implicitè*, ſciente videlicet, & tacente Superiore.

Circa quod poſtremum noto, quòd ſu- 124
prà innui, nequaquam ad Jurisdictionem *Implicitam*, ac *tacitam* ſufficere, ut Superior ſolùm ſciat, & taceat; ſed requiri etiam in illo animum verè conſentientem, qui niſì adſit, nulla erit Jurisdictio, conſequenter invalida abſolutio. Neque ſatis eſſe, quòd Superior Jurisdictionem exerçere volenti ſit bene cœteroquin affectus, vel Jurisdictionem concederet, ſi peteretur. Ratio eſt: quia Jurisdictio non confertur ſinè actu poſitivo voluntatis in delegan-

legante. Suar. t. 4. D. 27. S. 4. n. 16. Unde licèt præſumpta Juriſdictio in Sacramento v. g. Eucharíſtiæ, vel Extremæ Unctionis ſufficiat; aliud tamen eſt in hoc Sacramento. Ratio diſparitatis eſt: quia ad valorem aliorum Sacramentorum non requiritur Jurisdictio, ad hoc requiritur. Proinde, ùt fusè de hoc diſſerit Gob. à n. 89. pro implicita, ſeu tacita conceſſione Jurisdictjonis ſemper requiritur aliquod ſignũ externũ, quo animus Superioris manifeſtatur. Et hoc intelligendum eſt etiam de caſu, quo ſuperior ſciens, & tacens verum internum conſenſum habet. Rationem dat Laym. l. 5. tr. 6. c. 10. n. 15. Quia delegatio Jurisdictionis (ſicut & aliæ conceſſiones) fieri debent modo humano, & ſenſibili, ut ab altero cognoſci poſſint, & acceptari. Unde ſic concludit: ideóque non ſufficit mera voluntas interna, ſed eam verbo, ſcripto, aut facto ſufficienter manifeſtatam eſſe oportet.

225 Q. 2. *An quivis Sacerdos acquirat Jurisdictionem in venialia, & mortalia Confeſſione jam deleta, per Ordinationem?* ℞. Cum communi Affirmativè: juxta Vaſquez quidem in 3. p. q. 93. a. 1. dub. 6. Jure Divino, juxta Suar. verò tom. 4. D. 26. Sect. 5. n. 5. Jure humano, ſeu Eccleſiaſtico; illicitè tamen eam exercet ſinè Approbatione juxta dicta de Approb. §. Q. An verò acquirat etiam *in mortalia oblita, & indirectè remiſſa?* Gobat. n. 79. dubitat eſſe probabile. Ubi

bi etiam addit hanc Juriſdictionem auferri ab Eccleſia Sacerdotibus excommunicatis, & degradatis.

Q. 3. *An quivis Sacerdos non tantùm pro mortis articulo, ſed etiam pro periculo mortis habeat Juriſdictionem?* Antequam reſpondeam Noto 1. cum La Croix. l. 6. p. 2. n. 1559. *Articulum mortis* tunc dici, quando mors *moraliter certa proximè* inſtat, ut ſi quis ex morbo, aut vulnere credatur infallibiliter moriturus; aut ex ſententia Judicis ſit morte afficiendus; aut ſi periculum proximum adſit perpetuæ amentiæ. Noto 2. *Periculum mortis* tunc dici, quando ſub dubio, vel timore probabili expectatur mors, utì in prælio, in morbo, vel itinere periculoſo, in navigatione maritima, in vicino partu, in cōmoratione inter peſtiferos. His prænotatis. ℞. 1. quoad *articulum mortis* affirmativè. Deſumitur ex Trid. ſeſſ. 14. de S. Pœnit. Sacr. c. 7. ubi ſic: *ni eadem Eccleſia DEI cuſtoditum ſemper, fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis; atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt.* Ex quo colligitur etiā Sacerdotem excommunicatum, & denuntiatum in articulo mortis validè abſolvere, ut habet Declaratio. Si tamen alius Sacerdos Juriſdictione præditus adſit, vel tempeſtivè haberi poſſit, probabilior, & tutior ſententia eſt, Sacerdotem Juriſdictone deſtitutum invalidè abſolvere; niſì 226

ſim-

ſimplex, vel excommunicatus jam incepiſſet audire Confeſſionem, vel alius præſens nollet audire. La Croix. cit. n. 1562. citans pro ſe Sanchez, & Cardenam contra Stoz, Sporer &c. Ratio eſt: quia cùm Eccleſia tantùm conferat pro articulo mortis Jurisdictionem omni Sacerdoti *ob neceſſitatem*; tali autem caſu neceſſitas adhibendi ſimplicem, aut excummunicatum Sacerdotem non adſit, rationabiliter exiſtimandum eſt Jurisdictionem tali Sacerdoti non conferri.

227 ℞. 2. Probabiliorem eſſe ſententiam etiam *in ſolo mortis periculo validè* abſolvere quemlibet Sacerdotem. Ratio eſt: quia Eccleſia Mater non præſumitur velle ullum exponere periculo probabili damnationis, quod tamen hìc faceret.

§. IV.

Quomodo amittatur Jurisdictio?

228 Q. 1. *Quandonam amittatur Jurisdictio?* ℞. Cum Gob. tr. 7. n. 139. & communi, amitti, & expirare 1. quando quis privatur officio, cui illa Jurisdictio per ſe fuit annexa. Sic expirat, dum Parochus reſignat Beneficium Parochiale. 2dò, quando quis excommunicatur, aut ſuſpenditur ab officio, niſì excommunicatio vel, ſuſpenſio maneat occulta; tunc enim in communi errore valebunt abſolutiones. Regin.

l. 1.

Digitized by Google

l. 1. c. 10. n. 118. Non expirat tamen, ſi excommunicetur concedens; itèm ſi moriatur. Sanch. de Matr. l. 8. D. 28. n. 71. & ſequentibus. Addo 3. Quando peccatum aliquod priùs non reſervatum à Superiore reſervatur. Regin. l. 1. c. 11.

Q. 2. *An omnis excommunicatus per excommunicationem amittat Jurisdictionem?* 229
℞. Negativè. Solus enim excommunicatus *non toleratus* hanc amittit; toleratus autem validè abſolvit, licèt *illicitè*, niſì requiſitus, & contritus. La Croix l. 6. p. 2. n. 1564. Regin. l. 1. c. 10. n. 114. & 115. &c. Ex quo ſequitur Parochum excommunicatum non toleratum extra caſum neceſſitatis extremæ, & invalidè abſolvere, & invalidè alteri Jurisdictionem delegare. Ratio eſt: quia per excommunicationem talem illi Jurisdictio aufertur, conſequenter dare alteri non poteſt, quod non habet. Porrò delegata Jurisdictio expirat ſimiliter per excommunicationem, utì & ad mentem delegantis: qui ſicut illam delegat, ità & revocare poteſt. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 17.

§. V.

Qui de jure, aut conſuetudine ſibi poſſint eligere Confeſſarium?

Q. 1. *Quis dare poſſit facultatem eligendi ſibi Confeſſarium?* ℞. Papa, Epiſcopus, 230

peccator. D. Thom. in 4. Diſt. 19. q. 1. a. 3.

Q. 3. *Quis eligere ſibi poſſit Confeſſarium jure Eccleſiaſtico?* ℞. Epiſcopos, & his Superiores; itèm Prælatos exemptos poſſe ſibi eligere quemvis Confeſſarium approbatum. Ità Coninck. D. 8. de Sacram. Pœnit. dub. 8. n. 60. Suar. cit. n. 4. Fill. n. 231. Et habetur expreſsè c. fin. de pœn. & remiſs. ubi ſic: *Permittimus Epiſcopis, & aliis Superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, ut etiam præter ſui Superioris licentiam providum, & diſcretum ſibi poſſint eligere Confeſſorem.* Talis verò Confeſſarius accipit juriſdictionem, non ab Epiſcopo, ſed ab eo, qui dedit Epiſcopo facultatem eligendi. Suar. cit. l. cit. Palud. Sylveſt. Cajet. apud eundem. Ratio eſt: quia Epiſcopus habet Superiorem, & Paſtorem proprium, qui, ſicut Epiſcopo dat facultatem eligendi Confeſſarium, ità Confeſſario electo dat Juriſdictionem. 232

Porrò nomine *Epiſcopi* intelligitur Epiſcopus electus, & confirmatus, ſive habeat Epiſcopatum, ſive non; niſi eſſet degradatus: per degradationem enim privatur omnibus privilegijs. Idem probabilius eſt de ſuſpenſione: nam, licèt aliqui velint, per hanc tantùm auferri uſum juriſdictionis, non privilegium clericale eligendi Confeſſarium; re verà tamen, cùm auferatur uſus juriſdictionis in 233

dante, non poteſt eam à tali Confeſſarius electus accipere. Ità rurſus Suar. n. 5. Sylveſter verbo *Confeſſio* cum communi &c. *Nomine Superiorum Epiſcopi* intelliguntur Archi-Epiſcopi, Primates, Patriarchæ, & probabiliter etiam Cardinales non Epiſcopi, ìdque ſive *vi juris*, ſive *Pontificis conceſſione*, ſive *conſuetudine*, ùt docent Angelus, Sylveſter, Cajet. à Suar. citat. S. 2. n. 6.

234 Nomine *Prælatorum inferiorum*, teſte Fill. cit. 231. intelliguntur præter Prælatos Ordinum exemptorum, etiam aliqui Archi-Presbyteri, & Auditor Cameræ in Romana Curia: non itèm Parochi; cùm Parochi ſimpliciter, & abſolutè nunquam dicantur Prælati, & Clement. *dudum*, de Sepult. clarè diſtinguat inter Parochos, & Prælatos. Similiter nomine Prælati non intelligitur fœmina, cùm hæc non poſſit habere Jurisdictionem. Coninck cit. l. cit. Hènriquez l. 6. c. 13. apud eundem. Nomine *exemptorum*, veniunt omnes illi Prælati, qui in hoc foro non ſubduntur Epiſcopis, etiamſi habeant alios Superiores præter Papam, quales ſunt Provinciales Religionum, & aliqui Superiores immediati, ut Abbates, & ſimiles. Sylveſt. Palud. apud Suar. n. 9. Addit hìc cit. Coninck, Religioſos teneri tales eligere, quales ijs ſtatuta permittunt.

235 Q. 4. *An alicui præter memoratos Jure facultas competat eligendi Confeſſarium?* ℟. Negativè. Ratio eſt; quia nullum inve-

ni-

nitur tale jus illud enim, quod habetur c. *placuit.* 33. de Pœn. q. 3. D. 6. *Niſi per ignorantiam, cui pœnitens priùs confeſſus eſt*, non concernit particularem perſonam, ſed omnes fideles, qui ſi error in pœnitentia injungenda commiſſus eſt, à Confeſſario, ut exponit, & probat Suar. n. 24. jus habent ſe judicio alterius Confeſſarij ſubjiciendi.

Q. 4. *Utrùm aliqui habeant, vel habere* 26
poſſint facultatem eligendi Confeſſarium ex ſola conſuetudine? ℞. Conſuetudinem, *per ſe ſumptam*, non poſſe tribuere facultatem hanc ſinè licentia Proprij. Ratio eſt ex dictis Q. 2. quia eſſet contra jus Divinum, conſtat enim, omnes habere Paſtorem proprium præter ſolum Papam. Quod, ſi tamen licentia aliquando data, nec revocata eſt, vel ſi ad electionem bona fide tantùm Superiores ſcientes taceant, securè poſſunt pœnitentes uti hac facultate, habentes conſuetudinem pro ſigno facultatis, ſeu *expreſsè* aliquando, ſeu *tacitè conceſſa.* Suar. cit. S. 3. n. 3. Fill. n. 234. quæ tamen à Superioribus pro libitu revocari poſſit. Proinde ubi inducta eſt, uti in locis ſaltem plerisque eſt inducta, conſuetudo, ut Parochi, vel alij ſimplices Sacerdotes eligant ſibi Confeſſarium absque ſpeciali licentia Epiſcopi, ſecurè poſſunt uti hac facultate. Navar. Gabriel. &c. apud Suar. cit. D. 27. S. 4. à n. 3. Idem eſt quoad Laicos, ſi in quibusdam locis inducta eſt eadem conſuetudo.

237 Q. 6. *Quibus ſit conceſſa facultas eligendi Confeſſarium ab homine?* ℞. Licèt regula pro hoc ſtatui nequeat, cùm facultas iſta dependeat ab arbitrio Paſtorum Ordinariorum ſic, ut Papa eam dare poſſit omnibus fidelibus, Epiſcopus ſuis Diœceſanis, Parochus ſuis Parochianis, quando libuerit: regulariter tamen per privilegium particulare eam habent Reges, & Principes, & ij, quibus dantur Bullæ cruciatæ in Hiſpania, & Sicilia. Coninck ſuprà cit. loco cit. Ubi

238 Obſervandum 1. facultatem talem ſe non tantùm extendere ad venialia, ſed etiam mortalia, & cum his connexa, à quibus abſolvere concedens poteſt, licèt reſervata forent; dummodò facultatem non det generaliter, ſed cum expreſſione caſuum, etiam reſervatorum, Suar. Tom. 4. D. 27. S. 4. n. 3. & 4. Fill. cit. n. 236. & 237. Dixi, *& cum his connexa*, qualis eſt excommunicatio major, cujus abſolutio neceſſaria eſt ad abſolutionem à peccatis, non verò diſpenſatio in votis. Ratio eſt: quia diverſa eſt jurisdictio ad diſpenſandum in votis à facultate abſolvendi à peccatis.

239 Obſervandum 2. ſi facultas detur *indefinitè, & illimitatè*, non finitur uno actu; ſed poſſunt Confeſſarij plures eligi, & modò unus, modò alter. Secus ſi detur *cum expreſſa reſtrictione* ad unum actum. Suar. cit. n. 7. & cum eo Palud. Sylveſter &c.

240 Obſervandum 3. facultatem datam non ex-

expirare cum morte concedentis, ſicut dictum eſt de Approbatione. Ità ijdem contra Navarrum. Excipe nisì ad tempus vitæ concedentis data fuiſſet, & mors concedentis innoteſcat; nisì enim innoteſcat, valida eſt facultas, quamdiu mors non *innoteſcit.* La Croix. l. 6. p. 2. n. 1540.

Q. 7. *An quandoque ad electionem ſufficiat facultas interpretativa, vel præſumpta?* 141
℞. Probabilius eſſe nunquam talem facultatem ſufficere, nisi præſumptio fundetur in aliquibus ſignis ſufficienter indicantibus præſentem voluntatem Superioris concedendi facultatem. Ità Suar. cit. n. 16. Fill. n. 241. & 242. Et cum his Palud. Gabr. Victoria. &c. Ratio eſt: quia ſigna talia indicant *ſaltèm implicitè* datam facultatem, ſinè qua jurisdictio electi eſt nulla. Sufficientia verò ſignorum determinanda eſt arbitrio prudentûm. Hinc

Colliges cum Fill. cit. numeris ſequentibus 1. *Interpretativam* facultatem non adeſſe, ſi Parochus ſinè ullo facultatis ſigno moriatur, vel ægrotet, vel abſens ſit, nec Vicàrium conſtituerit, aut conſtituat. Unde in caſu ſic mortui, aut ægroti petendus Vicarius, vel confitendum, ſi copia ferat, Religioſis privilegiatis. Poteſt tamen tale ſignum eſſe, ſi aliàs abſens, vel ægrotus Parochus Vicarium conſtituere fuit ſolitus. 142

Colliges 2. Si Parochus nolit petenti facultatem etiam rationabiliter aſſentiri, non haberi 143

eo ipſo ſignum facultatis. Unde aliud eſt quærendum, ſinè quo invalida eſt electio.

244 Q. 8 *An peregrini facultatem habeant Parochum, vel ejus Vicarium quemcunque in Confeſſarium ſibi eligendi, in locis ubi ſunt?*, ℞. affirmativè. Ità Coninck D. 8. n. 61. Ratio eſt: quia aliàs diu deberent abſtinere à Confeſſione, ac ideò *tacita conceſſione* videtur inductum, ut ſibi eligere Confeſſarium talem poſſint. Excipe, niſi peregrinatio foret in fraudem.

FINIS.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Index rerum, & verborum Partis I.

A.

Abſolutio. An licitè petatur à Confeſſario, qui ſcitur peccati mortalis reus? n. 22.

Actus fidei Divinæ. n. 41. Spei Divinæ n. 43. Charitatis Divinæ. n. 45. Contritionis perfectæ. n. 47. Imperfectæ, ſeu attritionis. ibid.

Advertentia quotuplex n. 65. An requiſita ad verum peccatum, & qualis eſſe debeat? n. 63. Qualis requiratur ad mortale? n. 65. Semiplenæ ſigna n. 67.

Apoſtaſia à fide n. 116. à Religione 163.

Approbatio Confeſſarij quid? n. 186. Quomodo differat à Jurisdictione? n. 187. Quomodo ab Ordinatione? n. 188. Quæ ejus neceſſitas? n. 189. An ſinè illa abſolutio ſit invalida? n. 190. An ſit neceſſaria ad Regulares abſolvendos n. 191. An ad abſolvendas Moniales? n. 192. An ad abſolvendum à venialibus, & per Confeſſionem jam remiſſis? n. 193. An etiam

neceſſaria Theologiæ Licentiatis, & Juris Canonici Doctoribus? n. 195. A quo petenda? 196. 198. 202. An approbatus ab uno Epiſcopo cenſendus ſit approbatus pro tota Eccleſia? n. 203. An ſufficiat petere, non obtinere? n. 204. An peccet Epiſcopus idoneo ſinè juſta cauſa eam denegando? n. 205. An approbatio fieri poſſit limitatè? n. 206. An ſemel data ſemper duret? n. 207. An eam amittat Parochus amiſſo beneficio? n. 208. An ſi denuo petat, requiratur examen? n. 209. An delegari poſſit approbatio ab approbato? n. 210.

B.

BEſtialitas n. 132. 134.
Blaſphemia n. 120.
Bonitas quæ requiratur in Confeſſario? n. 17. An bonitas conſcientiæ requiratur ad Sacramenti valorem? n. 18. An in mortali excipiens Confeſſiones peccet mortaliter? n. 19. An toties, quot abſolvit? n. 20.
Bulla Cænæ unde ſic dicatur? n. 154. Caſus per illam reſervati. n. 158.

C.

CAſuum reſervatio. Vide Reſervatio caſuum.
Celebrans in mortali, & ſe communicans quot malitias ſpecificas committat? n. 142.

Cha-

Charitas divina quid ? n. 44. Actus charitatis quomodo eliciendus, & ex quo motivo n. 44. & 45. Peccata contra charitatem n. 118 Charitas erga pœnitentem in Confeſſario requiſita n. 25.

Circumſtantiæ ſpeciem mutæntes quæ ? n. 94. Quæ aggravantes ? n. 95. Quid inportet circumſtantia : quis ? & quomodo mutet, vel non mutet ſpeciem ? n. 97. Quid ? n. 101. Ubi ? 105. Quibus auxilijs? n. 107. Cur? 110. Quomodo 112. Quando 113. An mutantes ſpeciem, & pure aggravantes confitendæ ? n. 114.

Claves Eccleſiæ quid ? n. 3. An Jurisdictio hoc nomine compellanda ? n. 4. Quid peccata ſubjicere clavibus ? n. 5.

Clericus non Sacerdos an eſſe poſſit Miniſter Sacramenti Pænitentiæ? n. 9. An non ſaltem in communi errore? n. 14. An à cenſuris poſſit abſolvere ? n. 15. An qui tali confeſſus eſſet, teneatur denuo, cùm poteſt, confiteri ? n. 13.

Cognatio ſpiritualis, & legalis an peccato luxuriæ addat novam malitiam ? n. 98.

Coitus cum dæmone 135.

Conjugum peccata contra caſtitatem n. 129.

Confeſſarius quid ? n. 1. Quæ requiſita ad ejus munus ? n. 7. Unde poteſtatem abſolvendi accipiat ? n. 2. Quæ ejus obligatio ? n. 8.

Confeſſio Sacramentalis quid ? n. 6. Qualis eſſe debeat ? n. 57. An Sacramentalis,

lis ſit facta non Sacerdoti? n. 10. An quandoque non Sacerdoti facienda? n. 11. & 12.
Conſenſus ad verum peccatum requiſitus n. 63. Qualis eſſe debeat? n. 67. & 68.
Conſuetudo peccandi an addat novam ſpeciem? 115.
Contrahentes Matrimonium in mortali quomodo peccent? n. 144.
Contritio quid? & quotuplex n. 46. Quod utriusque motivum? ibid. Quomodo actus contritionis eliciendus? n. 47.

D.

DElectationes moroſæ quid? n. 123. Quando differant ſpecie. ibid.
Deſideria obſcæna quomodo ſpecificentur? n. 125.
Detractio 139.
Diſtinctio peccatorum ſpecifica ex quibus regulis dignoſcatur? à n. 77. An peccatum conmiſſionis, & omiſſionis diſtinguantur ſpecie? n. 82. Item peccata cordis, oris, & operis? n. 84. Diſtinctio ſpecifica peccatorum contra virtutes Theologicas, Præcepta, & Sacramenta à n. 116.
Diſtinctio peccatorum numerica unde deſumenda? n. 85. An actus malus phyſicè unus tendens in plura numero objecta numericas habeat malitias in Confeſſione explicandas? à n. 86.

Digitized by Google

E.

EBrietas. An homicidium, blaſphemia &c. ex ebrietate ſecuta addant ei novas ſpecies? n. 104.
Effectus peccati an peccatum? n. 76.
Electio Confeſſarij. Quis dare poſſit facultatem eligendi Confeſſarium? n. 230. Quis ſibi eligere poſſit jure Divino? n. 231. Quis jure Eccleſiaſtico? n. 232. An aliquibus facultas ſit ex ſola conſuetudine? n. 236. Quibus conceſſa ab homine? n. 237. Quouſque talis facultas ſe extendat? n. 239. An expiret cum morte concedentis? n. 240. An quandoque ſufficiat facultas interpretativa, vel præſumpta? n. 241. An peregrini facultatem habeant quemcunque Parochum, aut ejus Vicarium in Confeſſarium ſibi eligendi? n. 244.
Error in fide n. 116.
Excommunicatus. An ab illo ſit licitum Sacramentum ſuſcipere? n. 23. & 24.

F.

FIdes Divina quid? n. 40. Quod illius motivum? ibid. Quomodo eliciendus actus fidei? n. 41. Quorum fides, & qualis neceſſaria ſit ad ſalutem? à n. 33. Quando urgeat præceptum fidei? n. 39.
Finis quando veniale reddat mortale? n. 75.

Digitized by Google

Quando addat peccato novam ſpeciem? n. 110. 111.
Forma Sacramenti Pœnitentiæ quæ? n. 59.
Furtum quando multiplicis ſpeciei.

G.

GRadus conſanguinitatis an peccata Conſanguineorum reddant diverſæ ſpeciei? n. 98.

H.

HÆreſis n. 116.
Homicidium vide. occiſio.

I.

JActantia. n. 146.
Inebriatio. n. 147.
Idololatria. n. 119.
Iejunij violatio. n. 141.
Ignorantia, & inadvertentia quotuplex? n. 64.
An ſemper excuſet à peccato? ibid.
Inceſtus n. 18. 131.
Incidentiæ an peccatum? n. 68.
Injuria Parentibus, filijs, Superioribus &c. facta an addat novam ſpeciem? n. 121.
Inſtrumenta ad peccatum quando addant ſpeciem? n. 107.
Ira. n. 148.
Judaiſmus. 116.

Ju-

Digitized by Google

Judicium temeriarum. 138.
Juramentum. 120.
Juriſdictio quid? n. 211. Quomodo differat à poteſtate Ordinis? n. 212. Quotuplex ſit? n. 213. Qui habeant ordinariam? n. 214. Qui delegatam? n. 215. In quos Juriſdictionem habeant Religioſi mendicantes legitimè approbati? n. 216. An habens delegatam eam poſſit ſubdelegare? n. 217. An pro delegando requiratur certa formula? n. 218. Quæ Juriſdictionis neceſſitas? n. 219. An ad abſolvendum ſufficiat Juriſdictio probabilis? n. 220. An exiſtimata? n. 221. An petita, non obtenta? n. 222. Quomodo acquiratur? n. 223. An illius collatio ſigno aliquo exprimi debeat? n. 224. An qui, vis Sacerdos Juriſdictionem habeat in venialia, & jam per confeſſionem remiſſa mortalia? n. 225. An pro articulo, & periculo mortis? n. 226. 227. Quomodo amittatur? n. 228. An excommunicatus omnis eam amittat? n. 229.

L.

LAicus an eſſe poſſit Miniſter Sacramenti Pænitentiæ. n. 9.
Lex quando formaliter diverſa? n. 78.
Libertas à coactione an ad peccatum ſufficiat? n. 66.

Digitized by Google

Locus quis addat novam ſpeciem? n. 105.

M.

MAteria Sacramenti Pœnitentiæ à n. 49. Vide Pœnitentiæ Partes

Mendacium quando multiplicis ſpeciei moralis? n. 137. Mendacium in confeſſione. n. 143.

Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ quis? n. 9. An peccet mortaliter miniſtrans in mortali? n. 19. An toties quoties abſolvit? n. 20. Quid agendum, ſi peccati mortalis ſe videat reum? n. 21. Quibus virtutibus ſtudere debeat? n. 25. An illi liceat ſequi opinionem probabilem, tutiore relicta? n. 182. Miniſtrans validè, licitè, & fructuosè à n. 766

Motivum fidei Divinæ quod? n. 40. Spei. n. 42. Charitatis. 44. Contritionis perfectæ, & imperfectæ. n. 46.

N.

NEceſſaria ad ſalutem quot modis dicantur? n. 31. Quæ ſint neceſſaria neceſſitate medij? n. 32. Quid neceſarium in voto? ibid. Quæ creditu ſint neceſaria ad ſalutem neceſſitate medij? n. 33. Quæ neceſſitate præcepti? n. 38.

Digitized by Google

O.

OCcaſio proxima, & remota quæ? n. 55.
Occiſio parentis an ſimplici occiſioni addat novam ſpeciem? n. 103. Quando aliàs addat? 122.
Opinio probabilis quid, & quotuplex? n. 169. Quæ authoritas ad probabilitatem ſufficiat. n. 170. Quæ certò probabilis? quæ certò improbabilis? ibid. Quæ probabiliter probabilis? quæ dubiè probabilis? quæ tenuiter probabilis? n. 171. Quæ probabilior? quæ tutior? n. 172. An ſequi liceat opinionem probabilem? n. 173. Quid ad hoc requiratur? n. 174. An ſequi liceat alienam probabilem? n. 175. Quando ſeu qui non liceat? n. 176. An Medicus, & chirurgus probabilem ſequi poſſint tutiore relicta? n. 176. An advocatus? n. 177. An Princeps &c. n. 181.
Oſcula impudica. n. 35. & 131.

P.

PAganiſmus. n. 116.
Parentes. Qui horum nomine veniant, dum contra eos peccatur? n. 121.
Partes Pœnitentiæ quæ? n. 48. Quæ materia, & quotuplex? n. 49. Quotuplex remota? n. 50. An imperfectiones ſint materia ſufficiens? n. 51. An mortalia confeſſione de-

deleta? n. 52. An mortalia inculpabiliter omiſſa ſint materia neceſſaria? n. 53. An etiam dubia? n. 54. Quæ Sacramenti Pœnitentiæ forma? n. 59. Quæ Pœnitentiæ imponendæ? n. 58.

Peccatum quid? n. 60. Quotuplex generali diviſione? n. 61. Quotuplex actuale? n. 62. Quæ conditiones requirantur ad verum peccatum? n. 63. Quid mortale? quid veniale? n. 69. Unde mortale dignoſcatur eſſe mortale? n. 72. An omne mortale ob materiæ levitatem fieri poſſit veniale? n. 73. An peccatum luxuriæ admittat materiæ levitatem? n. 74. An, & quomodo veniale fieri poſſit mortale? n. 75. An effectus peccati ſint peccatum? 76. Catalogus peccatorum ſpecie diverſas malitias continentium à n. 116.

Periculum proximum peccandi quod? n. 75.

Pollutio quando plures contineat ſpecies? n. 126. 132.

Poteſtas abſolvendi unde? n. 2. Quo alio nomine compelletur? n. 3. An diſtincta ſit à poteſtate ordinationis? ibid.

Propoſitum quale in pœnitente requiratur? n. 56.

Prudentia Confeſſarij quæ eſſe debeat? n. 184. In quibus particulariter debeat elucere? n. 185.

R.

Digitized by Google

R.

RAptus n. 128.

Regulæ pro dignoſcenda ſpecifica peccatorum diverſitate. n. 77. Quæ inſufficientes? n. 79. 80. 81. Pro numerica. n. 85. Pro dignoſcendo, an plures phyſicè actus conſtituant moraliter unum peccatum? n. 89. Pro dignoſcendo, an actus moraliter ſit interuptus? à n. 90.

Requiſita ad munus Confeſſarij n. 7. Bonitas, Scientia, Prudentia, Approbatio, Juriſdictio. vide ſuis locis

Reſervatio caſuum quid? n. 149. Cui competat poteſtas caſus reſervandi? n. 150. & ſeqq. Quis finis hujus reſervationis? n. 152. Quale peccatum reſervari poſſit? n. 153. Quotuplex reſervatio? n. 154. Quid excuſet? ibid. Quomodo reſervatio fiat? n. 156. Qui caſus reſerventur Pontifici? n. 157. Qui in Bulla Cænæ? n. 158. Qui reſerventur Epiſcopis? n. 159. An aliqui in hac Diœceſi? ibid. An Regulares ſubjaceant caſibus ab Epiſcopo reſervatis? n. 160. Qui caſus reſervari poſſint à Superioribus Religionum? n. 161.

S.

SAcerdos an ſolus legitimus miniſter Sacramenti Pœnitentiæ? n. 9. An ut Sacerdos Miniſter

Digitized by Google

ſter ſit legitimus, completè debeat eſſe ordinatus? ibid. Sacerdos ordinarius quis? n. 16.

Sacrilegium. n. 102. 106. 108. Quomodo committatur? n. 130.

Scandalum. 109. 118.

Scientia quæ requiratur in Confeſſario? n. 26. Quæ ſufficiens, ut à mortali excuſetur? n. 27. Quando ſecurus eſſe poſſit de ſufficientia? n. 28. An ſinè ſcientia ſufficiente abſolvere poſſit Sacerdos in articulo mortis? ibid. Quæ ſcientia in particulari Confeſſario neceſſaria? n. 27. An Confeſſio ignoranti facta ſit invalida? n. 30. Scientia neceſſariorum ad ſalutem à n. 31. Scientia partium Pœnitentiæ à n. 48. Peccati in genere à n. 60. Peccati mortalis, & venialis à n. 69. Peccatorum quoad ſpeciem, & numerum à n. 77. Modi validè, licitè, & fructuosè Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrandi à n. 166. Opinionum probabilium à n. 169.

Sodomia. n. 131. 132.

Spes Divina quid? n. 42. Quod illius motivum? ibid. Quomodo eliciendus ſpei actus? 43.

Stuprum. n. 128.

Superbire. n. 145.

Superior. Caſus à Superioribus Religionum reſervabiles. 161. Per quem abſolvi poſſit Superior caſu reſervato innodatus? n. 165.

Digitized by Google

Superſtitio. n. 119.
Suſurratio. n. 139.

T.

TActus impudicus. n. 124. 131.
Tempus Sacrum an peccato addat novam Speciem? n. 113.

U.

VIrtus. Quibus virtutibus ſtudere debeat Confeſſarius? n. 25.
Votum quomodo addat peccato novam ſpeciem? n. 98. 120. Voto obſtrictus ſcandalizans quomodo peccet? 127.

Digitized by Google

Digitized by Google